O

DE CICERONIS ELOCUTIONE

IN ORATIONIBUS PRO P. QUINCTIO ET PRO SEX. ROSCIO AMERINO CONSPICUA

SCRIPSIT

Gustav

G. LANDGRAF

DR. PHIL.

WIRCEBURGI

IN AEDIBUS A. STUBERI.

MDCCCLXXVIII.

Seneca philosophus in epistula quadam (108, 24—35) futurum philologum, qualem sibi animo praesumeret, summa cum nostra expressit iucunditate. Quo loco cum universe demonstret multum ad rem pertinere, quo proposito ad quamque rem accedas, in informando philologo futuro, qua ratione sibi is uti videatur in antiquorum operum explanatione, exempla quaedam profert Vergiliana. Quorum nobis gravissima sunt tria, quippe quibus Seneca valde distincte eam explanationis rationem adumbraverit, quae nostra demum aetate planius atque diligentius exercetur: ut quod cuique scriptori proprium sit dicendi genus, id accurate ex singulis eius libris colligatur atque ad hanc inprimis collectam verborum copiam vel ut ita dicam indicem ipsius scriptoris interpretatio et emendatio revocetur.

Sed in tali indice distinguenda sunt et ea quae *propria* ipsis scriptoribus verba et voces et ea quae ab *aliis fontibus* hausta sunt. Cuius rei in utramque partem Seneca eo loco, quem supra diximus, praeclarissima exempla protulit: atque in illam partem

„*Fugit* inreparabile *tempus*“ (Georg. III, v. 284) et

„Optima quaeque *dies* miseris mortalibus aevi
Prima *fugit*“ (ibid. v. 66)

addens: „observet (sc. grammaticus futurus) quotiens Vergilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo *fugit*“; alterum

„Subeunt *morbi* tristisque *senectus*“ (ibid. v. 67) et

„Pallentesque habitant *morbi* tristisque *senectus*“ (Aen. VI, v. 275) addens: „ait Vergilium semper una ponere *morbus* et *senectutem.*“

In alteram partem explanationis exemplum attulit ex Verg. Georg. III, 261:

„Quem super ingens
Porta tonat caeli“

quae verba Vergilium ex epigrammate quodam *Ennii,* Ennium ipsum ex *Homero* (Il. V, 749: πύλαι μύχον οὐρανοῦ) sumpsisse adnotat ac plane facete addit: „*Felicem se putat* quod invenerit, unde visum sit Vergilio dicere „quem super etc"; Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium."

Nec tamen qui nunc in hoc antiquorum operum explanationis genere versantur, acquiescunt in eiusmodi interpretandi ratione, sed scriptoris ingenio atque indole annis vertentibus converso converti quoque perfectioremque evadere sermonis habitum docent.

Atque talem sermonis conversionem doctissimus praeceptor meus *Woelfflinus* exstare edocuit in Taciti operibus, qui in prioribus suis libris longe alia dicendi arte uteretur atque in posterioribus. Nam in libro, qui Agricola inscribitur, cum ex aliis fontibus sua conquisivit tum Sallustium praecipue imitatus est. Sed hac imitatione in sequentibus suis operibus magis magisque omissa in ultimo, qui annales dicuntur, libro sinceram perfectamque proprii Tacitei sermonis imaginem reliquit.

Atque in Taciteo sermone ut ille certos quosdam gradus persecutus est, ita in *Ciceroniano* idem mihi videtur esse faciendum, cum praesertim ipse Cicero pluribus locis de sermonis sui mutatione quadam loquatur.

Cum *Cicero* ad rempublicam accederet, Romae *Asiana,* quae dicitur, eloquentia viguit, qua *Hortensius* inprimis usus summam sibi gloriam comparaverat. Atque initio quidem Cicero quoque eam secutus est, sed cum biennium in causis versatus et iam in foro nomen eius maxime celebratum esset, Roma profectus (a. 80/79) Athenas se contulit ac deinde tota Asia peragrata Rhodum venit ibique *Molonem* clarissimum oratorem se applicavit. „Is — ut ait ipse in Brut. §. 316 — dedit operam, ut nimis *redundantes* nos et *superfluentes* iuvenili quadam dicendi impunitate ac licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coërceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitatior, sed *prope mutatus*"; idem dicit Quintil. XII, 6 extr. „Apollonio Moloni, quem Romae quoque audierat, se rursus formandum ac velut *recoquendum* dedit."

Quibus ex locis elucet, quanti momenti Molonis institutio fuerit ad Ciceronis artem dicendi. Quae vitiosa *iuvenilis redundantia,* qua voce etiam Orat. §. 108 utitur, unde nata sit si quaerimus, ad opimum illud tumidiusque *Asianum* dicendi genus

referenda esse mihi videtur. Quibus enim locis scriptores eius mentionem faciunt, *redundans* inprimis et *superfluens* esse demonstrant velut Cic. Brut. §. 51 parum *pressi* et nimis *redundantes*, de opt. gen. orat. §. 9 illos potius (sc. imitemur), qui *incorrupta sanitate* sunt, quod est proprium *Atticorum*, quam eos, quorum *vitiosa abundantia* est, quales *Asia* multos tulit, Quintil. XII, 10, 16 cum hi *pressi* et integri (sc. Attici); in his nihil *superflueret* . . . nihil inane aut *redundans* ferebant.

Jam ipsum Ciceronem, ut ait Quintil XII, 10, 2, „suorum homines temporum incessere audebant ut *tumidiorem* et *Asianum* et *redundantem* et in repetitionibus nimium“ etc., quo cum loco conferas Dial. de or. 18„ satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et *tumens* nec satis *pressus*, sed supra modum exsultans et *superfluens* et parum *Atticus* videretur.

Quae cum ita sint, *redundantiam* illam *iuvenilem*, quam ipse Cicero reprehendit in prioribus suis orationibus, ad *Asiani* generis dicendi auctoritatem revocandum esse existimo*); quae qualis et quanta sit in orationibus p. P. Quinctio (a. 81) et pro Sext. Roscio Amerino (a. 80) in *prima* nostrae dissertationis parte doceamus **).

Sed *altera* quoque res accedit, qua earum orationum sermonis habitus aliquantum abhorret a posterioribus eademque maioris ut opinor momenti est quam Asiana dictio; est autem *sermo quidam conflatus ex Ciceronis lectione poëtarum* maximeque comicorum et tragicorum, quorum nonnulla et sententias et verba locutionesque in orationem suam recepit. Nam Asiani moris ut etiam in posterioribus orationibus vestigia exstant, ita quae in iis comparet copia verborum et locutionum, ea plane ad Ciceronis iudicium accommodata est neque poëtarum sermonem redolet. Sed in prioribus, cum adulescentuli oratio nondum perfecta et exculta esset, aliena exempla sequebatur, unde factum est, ut quae mira nobis in his orationibus occurrunt, in posterioribus

---

*) Ipsum genus orationis Asiaticum adulescentiae magis concessum esse quam senectuti Cicero dicit Brut. §. 325.

**) Sueton. de orat. 51. 52. Reiff. p. 81: XXVI. anno aetatis Cicero Quintium defendit. Roscio contra Chrysogonum defenso Cicero Athenas secedit et inde post triennium Romam regreditur.

non item, ea ex illa lectione poëtarum in sermonem irrepserint, quin etiam ex eo numero quaedam *sermoni vulgari* tribuenda sint. Qua de re nonnulla adnotavit *Woelfflinus* in libello suo „Bemerkungen über das Vulgärlatein“ in Philolog. XXXIV, p. 142 sqq.) idemque mihi praeterea suppeditavit quaedam, pro qua re ei hoc loco summas gratias ago.

Denique *tertius* locus restat, de quo mihi agendum est: de *verborum formatione* et *de syntaxi*, qua in utraque re hae duae orationes dissimilitudines quasdam habent cum posterioribus*).

Atque hac disputatione sic cônstituta aliquid addere mihi videor ad futurum quendam· Ciceroniani sermonis indicem perfectum absolutumque, qui prorsus necessarius est in tam exigua huius sermonis cognitione, qualis hodie quoque apparet in libris recentissimis **).

---

*) De iis, quae in secunda et tertia parte tracto, scripsit etiam H. Hellmuth in dissertatione „De sermonibus proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur“ Erlang. 1877. Sed meus libellus plane iam confectus erat, cum illa in manum meam pervenit.

**) Cuius rei exemplum affero ex comparatis eis, quae Draegerus, synt. hist. II p. 300 et Fritzsche in commentar. Horat. satir. (1876) ad sat. II, 8, 19 de usu *laborare cum infin.* apud *Ciceronem* adnotant. Draegerus *uno* loco eum inveniri contendit (Verr. III §. 127), Fritzsche *nullo.* Krebsius in Antibarb. [5] recte affert *duos* locos: Verr. III §. 127; ad Attic. V, 2, 2. Sed totus hic locus apud Draegerum male se habet. Nam praeterquam quod locum ex Cornel. Nepote falso affert (pro 15, 3, 1 legendum est 16, 3, 1) etiam quae de usu *laborare ut* commemorat hanc esse structuram apud optimos scriptores, illam cum infinitivo apud posteros falsa esse mihi videntur. Utraque enim structura apud bonos scriptores invenitur, sed *laborare cum infin.* semper enuntiato *negativo* velut Cic. Verr. III, 127 prospicere *non* laboratis; Attic. V, 2, 2 quod audiri *non* laboravit; Nep. Pelop. III, 1 *ne* quaerere quidem laborarunt; Verr. r. r. III, 17 *non laboro* discessisse Merulam; altera structura sane crebrior invenitur atque enuntiato et positivo et negativo, ut Verr. V, §. 126 *nemo laborat, ut*; in Caec. 22, 71 qui *neque* ut conservet *neque* uti confirmet laborat; Brut. §. 92; at p. Quinct. §. 21 ut vincas laborant cf. Verr. I §. 65; Tull. §. 1. 4; Font. §. 35; Planc. §. 50 etc. A poëtis aetate Augusti *laborare cum infinit.* etiam *positivo* enuntiato usurpatur, quia hoc verbum versui extremo aptissimum erat. Catullus 67, 17 ultimus illam legem observat: nemo quaerit *nec* scire laborat; at iam Ovid. Met. 10, 413 scire laborant; Pers. II, 17 scire laboro; Hor. sat. II, 8, 19 nosse laboro, saepiusque; inde etiam scriptores solutae orationis, ut Plin. ep. I, 10,2 amari ab eo laboravi.

Pars I.

De Asiano genere dicendi in duabus prioribus Ciceronis orationibus conspicuo.

Sublata Athenis eloquentia atque successoribus Alexandri Magni in Asiam immigrata inprimis Caria, Phrygia, Mysia (Orat. 25) novum quoddam „et opimum et tamquam adipatae dictionis genus asciverunt“, quam Romae quoque oratores approbaverunt, maximeque clarissimum illius aetatis oratorem Hortensium summa cum gloria sui exercuisse constat. Sed iisdem temporibus tumidiori huic atque superfluenti dictioni, quae dicitur, *Asianae* alia opponebatur tenuis ac sana ab iis, qui Atticorum sermonem imitandum sibi proponebant (praecipue Lysiae et Thucydidis) ideoque *Attici* vocabantur. Obiciendo autem abundantiae illi Asianae maximam verborum sententiarumque tenuitatem atque siccitatem, exsucci et exsangues exstiterunt (Quintil. XII, 10, 12). At Cicero ut initio Asiano mori serviebat, ita Molonis institutione adductus genus *Rhodium* ascivit, quod velut medium atque ex utroque mixtum videbatur cf. Brut. §. 51; Or. partt. 34, 118 Rhodii oratores saniores quam Asiatici et *Atticorum* similes; Quintil. XII, 10, 18. Nec vero prorsus contempsit in posterum Asianum genus, immo in acerrimo illo certamine inter Asianos et Atticos ad illam potius partem inclinavit *).

---

*) Initia huius certaminis continentur annis 70—50 a. Chr. n., id quod planum facit Wilamowitz in libello suo „die Thucydideslegende“ (Hermes 1877; vol. XII p. 332). Is primum Romanorum M. Calidium huius Asianae dictionis studiosum fuisse ostendit, quippe qui a. 64 a. Chr. in accusatione Q. Gallii contra Ciceronem defensorem verba fecerit (Brut. §. 277). Verumtamen illo temporum spatio usque ad annum 55 a. Chr. haec studia non ita satis viguisse videntur, cum ipse Cicero in libro qui inscribitur de Oratore (a. 55) nullo loco Atticorum mentionem faciat. Discrimen ipsum quod intercederet

Sed Asianum genus quantam vim habuerit ad Ciceronis duas superiores orationes si demonstrare volumus, ipsum quale fuerit docendum est. Ac de ea re praeter Ciceronem plura disputaverunt Dionysius Halicarn. (de orat. ant. 1. 2) et Quintilianus (XII, 10, 12—26).

Jam supra commemoravimus *universe* in Asiano genere inesse *redundantiam* quandam verborum et sententiarum, ut „ea quae *proprie* signari poterant *circuitu* coeperint enuntiare" Quintil. XII, 10, 16. Ac si *singulas* eius notas perquirimus, praecipua vitia enumerat Cicero Orat. §. 231: „quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita traiciat, ut id de industria factum intelligatur, neque inferciens verba quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens concidat delumbetque sententias nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum, is omnia fere vitia vitaverit." Alio loco (Brut. 95, 325) dua Asiaticae dictionis genera distinguit: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis; alterum non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum.

---

inter utrumque genus dicendi inprimis in accusatione P. Sestii (a. 56), quem Hortensius, Licinius Calvus, Cicero defenderunt, apertum atque perspicuum apparuisse mihi videtur. Hortensius enim erat dux et princeps Asiani, Licin. Calvus Attici moris (cf. Quintil. X, 1, 115 imitator Atticorum), cuius orationes in Vatinium, quae in illud tempus (a. 56—54) incidunt, a posteris quoque summa cum admiratione legebantur (cf. Dial. c. 21. 34). Jam hoc ipso tempore praesertim Hortensio mortuo a. 50 acerrima lis de utroque genere dicendi exorta videtur esse inter Ciceronem et Lic. Calvum, de qua Sen. controv. III, 19 haec: Calvus qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae habuit; Quintil. X, §. 115 inveni qui Calvum praeferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. Ac Calvus quidem a. 48 mortuus nec tamen simul lis inter utramque partem sepulta est; quin Cicero libros suos, qui inscribuntur Orator et Brutus (46 a. Chr.), hoc maxime consilio scripsit, in quibus suum dictionis genus contra illos defenderet. Atque medium quoddam genus atque ex utroque mixtum optimum ratus potissimum perversam illam Atticorum opinionem reprehendit, qui se Attice dicere putant, si Lysiae et Thucydidis ieiunitatem et siccitatem imitantur. Optimum sibi videri eum esse oratorem, qui optimos imitetur: qui „quoniam Graeci oratores sint; eorum autem princeps facile Demosthenes, hunc siquis imitetur, eum et Attice dicturum et optime" (de opt. gen. §. 13). Insequentibus iam annis Attici inferiores evasisse videntur, cum Cicero in Tuscul. disput., quem librum scripsit a. 45/44, de Atticis dicit: qui iam conticuerunt paene ab ipso foro irrisi (II, 1, 3).

Ac de sententiarum redundantia, qualis in Ciceronis oratione p. Sext Rosc. Amer. appareat, disputavit A. Nikl *) ita, ut nimia sui iudicii licentia mihi quaedam vituperare videatur velut si p. 12 de cap. XXI huius orationis dicit „totum hoc caput melius omissum esset.“ Nos redundantiam praecipue verborum et locutionum, qualis occurrat nobis in duabus illis orationibus, perquirere in animo habemus atque ad illustranda cetera, quae supra commemoravimus, Asiani moris vitia nonnulla tantum gravissimaque exempla afferamus.

Quae redundantia eiusmodi est, ut ea quae proprie signari poterant duobus vel pluribus verbis significentur. Ac *continuatae* talis repetitionis exempla sunt p. Quinct. §. 10: Quum tot tantisque difficultatibus *adfectus* atque *adflictus* in tuam *fidem, veritatem, misericordiam* Quinctius confugerit, quum adhuc ei propter vim adversariorum non ius *par,* non agendi potestas *eadem,* non magistratus *aequus* reperiri potuerit, quum ei summam per iniuriam omnia *inimica* atque *infesta* fuerint, te, C. Aquili vosque, qui in consilio adestis, *orat* atque *obsecrat,* ut multis iniuriis *iactatam* atque *agitatam* aequitatem in hoc tandem loco *consistere* et *confirmari* patiamini;**) ib. §. 47: extorquendum est *invito* atque *ingratiis,* quod non debet *eripiendum* atque *exprimendum* est: de fortunis omnibus Quinctius deturbandus est: potentes, diserti, nobiles omnes advocandi sunt: adhibenda vis est veritati: minae *iactentur,* pericula *intendantur,* formidines *opponantur,* ut iis rebus aliquando *victus* et *perterritus* ipse se dedat? Quae mehercule omnia, quum qui contra pugnent *video* et quum illum consessum *considero, adesse* atque *impendere* videntur neque *vitari* ullo modo posse. Quum autem ad te, C. Aquili, *oculos animumque* rettuli, quo maiore *conatu studioque* aguntur, eo *leviora infirmiora*que existimo.

p. R. Am. §. 117: At vero T. Roscius . . . . novem homines fortissimos, eiusdem *muneris, legationis, officii mandatorumque* socios *induxit, decepit, destituit,* adversariis tradidit, omni *fraude* et *perfidia fefellit* etc.

---

*) Redundantiam iuvenilem in Cic. or. p. S. Rosc. Am. apparentem notavit Al. Nikl, Campod. 1836.

**) cf. similem locum Vergilianum Aen. I, v. 628. 629:
Me quoque per *multos* similis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit *consistere* terra.

Creberrima est *duplicitas* locutionis; quo ex numero profero: p. Quinct. §. 5; p. R. Am. §. 20: *solitudo atque inopia;* p. Quinct. §. 9 *iniquitas et iniuria;* §. 12 *consuetudo ac familiaritas;* §. 28 *recte atque ordine;* § 39; 46 *vita et sanguis;* R. Am. §. 7 *sanguis et vita* cf. Verr. III, 56; p. Q. §. 66 *inimicissime atque infestissime;* ib. §. 98 *multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis;* p. R. Am. §. 36 *exstinguere atque opprimere;* ib. §. 50 itaque ex *minima tenuissima*que republica *maximam et florentissimam* reliquerunt; §. 53 *vitia atque peccata;* §. 71 *auferre et eripere;* §. 117 *cautus providusque* etc.

Artificiosam quandam speciem praebet haec locutionis duplicitas adhibita *alliteratione* *).

Cuius alliterationis permulta exempla invenimus apud poëtas veteres Ennium, Pacuvium, Attium, Terentium maximeque apud Plautum, qui et alliteratione et adnominatione, de qua paulo post dicemus, summa cum arte usus est (cf. Lorenz praef. ad Pseudol. p. 37 sq.) **). Sed apud optimos solutae orationis scriptores haec figura magis magisque rarior fit et tantum in quibusdam usitatis formulis exstat veluti

fama fortunaeque Cic. p. Quinct. §. 8. 26. 27. 33. 59. 76; R. Am. §. 25. 113; Verr. act. pr. §. 17; II, 57; Rab. 1. 5; Mur. 2; Cael. 54; Pis. 98; ad Q. fr. I, 1 c. 4; c. 8; Lael. 94; Sall. Cat. 33 fama atque fortuna; Vell. II, 99, 1; Tac. hist. III, 32; V, 10 fortuna famaque

templa ac tecta Cic. Sull. 33. 86; Sest. 53. 144; Pis. 52; dom. 140; Phil. I, 5; Attic. VII, 13 a, 1; p. red. 19 neque tecta neque templa; Liv. V, 15, 12 tecta templaque.

---

*) *Alliterationis* nomen nusquam apud bonos antiquitatis scriptores invenimus neque omnino vocem aliquam huius figurae. Cornif. IV, 12, 18 nimiam *eiusdem litterae assiduitatem* vituperat in versu illo Enniano „O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti“; qui versus etiam a posterioribus grammaticis citatur exemplum huius figurae, cui primus, ut equidem video, nomen indidit Donatus ars gramm. III, 5, 2 παρόμοιον; deinde Mart. Capell. 33 p. 474 H. ὁμοιπρόφορον. Saeculo III. et IV. p. Chr huius compositionis elegantia non iam sentiebatur, immo vitiosa existimabatur, cf. Serv. ad Verg. Aen. III, 183 *casus Cassandra canebat*: „haec compositio iam vitiosa est, quae maioribus placuit ut ibid. 82 *Anchisen agnovit amicum;* V, 866 *sale, saxa sonabant.*“

**) Sermo vulgaris alliteratione usus est in proverbiis similibusque formulis, quarum quae apud Ciceronem in orat. p. Q. et p. R. A. inveniuntur in altera parte tractabimus, p. 19. 20.

At oratores alliteratione utebantur ad exornandum orationis sermonem inprimisque Asiatici, quippe qui omnino eiusmodi et verborum et sententiarum lumina (σχήματα) adamarent. Atque hac alliteratione utebantur et in *duorum* verborum copulatione et in *continua* oratione, ut Cic. p. Quinct. §. 51 mavult commemorari se quum ***p**osset **p**erdere **p**epercisse* quam cum ***p**arcere **p**otuerit **p**erdidisse;* ibid. §. 50 de quo homine ***prae**conis* vox ***prae**dicat* et ***pr**etium* conficit, huic acerbissimum ***v**ivo **v**identique **f**unus* ducitur. p. R. Am. §. 35 qui ***p**lurimum **p**otest **p**otentia **p**ugnat*; ib. §. 88 qui ***a**rdens **a**varitia **f**eratur in**f**estus* in suos cf. Verg. Aen. II, 498 ***f**ertur* in ***ar**va **f**urens* et ib. V, 215 ***f**ertur* in ***ar**va **v**olans.*

Alliterationis in *duorum* verborum copulationibus exempla proferimus haec:

p. Quinct. §. 26 *sanctum* atque *sollemne;* §. 91 ***s**enectus* ac ***s**olitudo;* §. 92 ***l**uxuria* atque ***l**icentia*

p. R. Am. §. 103. 151 ***s**ectores* ac ***s**icarii;* §. 118 ***p**romptum* et ***p**ropositum;* §. 140 ***s**incerum* ***s**anctumque.*

Sed hic alliterationis usus etiam insequentibus orationibus, inprimis Verrinis proprius est, velut Verr. V §. 77 et ***v**ictis **v**itae **f**inem **f**acit;* ib. §. 89 et quod reliquuum ***v**itae **v**iriumque **f**ames **f**ecerat,* id ***f**erro* reddere ***v**olebat.*

Permultis locis alliteratio fit *paribus compositis*, ut p. Q. §. 10 ***ad**fectus* atque ***ad**flictus* cf. §. 28. 47;

p. R. Am. §. 6. 112. 145 ***ob**stare* atque ***of**ficere;* §. 129 ***in**digna* et ***in**tolerabilia;* §. 137 non ***re**creatus* neque ***re**stitutus,* alia; atque interdum hoc studio inductus Cicero verbis compositis utitur, quae nusquam alibi apud eum inveniuntur, veluti in his tantum orationibus dicit

***com**mendare* et ***con**credere* p. Quinct. §. 62; p. R. A. §. 113; in posterioribus hoc verbo „*concredere*“ vitato dicit*) ***com**mittere* et ***com**mendare* Phil. XI, 21; dom. 142 (cf. Ter. Eun. 886); vel sine alliteratione *committere* et *credere* Verr. V, 35; dom. 1; Cluent. 159; ad Q. fr. I, 1 c. 4; c. 9.

Similiter nullo alio loco legimus nisi p. R. Am. §. 31: omnia ***s**uccurram* atque ***s**ubibo***).

---

*) *concredere* praeterea legimus: Plaut. Asin. 80, Ba. 1004; Trin. 957; Aul. prol. 8; Lucil. ap. Non. p. 275; Catull. 64, 213; Hor. sat. II, 6, 43.

**) Similiter pendet accusativus ex secundo verbo p. Quinct. §. 76 id perseverare et transigere.

Atque ut *eiusdem litterae assiduitas* i. e. alliteratio ad ornandam dictionem ab Asiaticis usurpabatur, ita etiam simillima huic *immutatio* quaedam litterae i. e. *paronomasia* sive, ut bene Latine est, *adnominatio* (Cornif. IV, 21, 29). Huius quoque figurae Cicero nonnulla exempla in *omnibus* libris suis usurpare solet, veluti *delere* — *tollere:* p. Quinct. §. 70; p. R. Am. §. 6; Verr. act. pr. §. 49 delere ac tollere; ib. IV, 80 delendum tollendumque; Vatin. §. 23 tollere et delere;

similiter ***laedere*** — ***laudare*** R. Com. 19; Font. 35; Verr. II, 114; IV, 19; Flacc. 6; Phil. III, 18 nescit *laedat an laudet,* cf. ad Attic. III, 15, 5; Cornif. IV §. 42 et in *laudando* et in *laedendo;* quae formula nescio an ex sermone vulgari profecta sit: legimus enim *proverbium* quoddam in sentent. Tur. ap. Ribb. frgm. com.[2] 229: praesentem nec *laudare* decet nec *laedere.*

Tertia creberrima adnominatio est verborum: ***locus, lacus, lucus,*** ut Cic. Scaur. 27; Verr. V, 188; Rab. 7, cf. Lucret. V, 75 et Rut. Lup. I §. 3 cum not. Ruhnkenii.

Denique quartam afferimus: ***libet*** — ***licet,*** cf. Aquil. Rom. §. 27 frequens illud apud veteres eiusmodi est: cui quod li*b*et hoc li*c*et; veluti Cic. p. Quinct. §. 94 sin et poterit, quod *libet* et ei *libebit* id, quod non *licet*; Phil. I §. 33; Cornific. IV §. 34.

Qua *paranomasia* inprimis efficitur illud genus *Asiaticae* dictionis sententiosum et argutum, sententiis non tam *gravibus* et *severis* quam *concinnis* et *venustis* (cf. p. 8.):

p. R. Am. §. 18 verum id quod adhuc est ***suspiciosum*** nisi ***perspicuum*** res ipse fecerit; ib. §. 42 ille quomodo crimen commenticium ***confirmaret*** non inveniebat: ego res tam leves qua ratione ***infirmem*** ac diluam reperire non possum; §. 89 non enim tantum mihi ***derogo,*** tametsi nihil ***adrogo;*** §. 135 ipse quemadmodum per forum volitet . . . ***videtis*** et ***invidetis;*** §. 139 quam si ***retinere*** volent . . . in perpetuum poterunt ***obtinere;*** §. 117 tribus ***praediis,*** hoc est ***praemiis*** sceleris ornatus cf. §. 3. 39. 47. 90. 107. 115. *) Insigne huius dictionis exemplum est p. R. Am. §. 112: cur mihi te ***offers*** ac meis commodis ***officio*** simulato

*) Quare etiam Verr. V, 127 ubi legitur: „paucorum cupiditati tum cum *obsistere* non poterant, tamen *sufficere* aliquo modo poterant" legendum esse mihi videtur ex concinnitate: *officere* pro obsistere.

officis et *obstas?* cf. Lucr. I, 336 namque *officium* quod corporis exstat, *officere* atque *obstare.*

De aliis Asiani generis notis vel potius vitiis, quae Cicero illo loco (Orat. §. 123) commemorat, pauca exempla proferre licet. Atque illius *assiduitatis in eodem semper genere numerorum* exemplum est p. Quinct. §. 47: extorquendum est invito atque ingratiis: de fortunis omnibus Quinctius deturbandus est: potentes, diserti, nobiles omnes advocandi sunt: adhibenda vis est veritati; vel p. R. Am. §. 63 magna est enim vis humanitatis: multum valet communio sanguinis: reelamitat istius modi suspicionibus ipsa natura; vel p. Quinct. §. 95 *nimiae* illius vituperatae *repetitionis* exemplum: *miserum* est exturbari fortunis omnibus, *miserius* est iniuria; *acerbum* est ab aliquo circumvenire, *acerbius* a propinquo; *calamitosum — calamitosius; funestum — funestius; indignum — indignius; luctuosum — luctuosius; horribile — horribilius* . . . . *omnia* circumspexit Quinctius, *omnia* periclitatus est etc. denique p. R. Am. §. 13: *accusant ii,* qui in fortunas huius *invaserunt*, *causam dicit is,* cui praeter calamitatem nihil *reliquerunt; accusant ii,* quibus occidi patrem Sex. Roscii bono *fuit; causam dicit is,* cui non modo luctum mors patris *attulit,* verum etiam egestatem; *accusant ii — causam dicit is* etc. Hic locus etiam verborum similiter desinentium exempla praebet (ὁμοιοτέλευτα), cuius figurae plura inveniuntur ib. §. 7 *resistatis — levetis — propulsetis;* §. 8 propter *dignitatem* — propter *severitatem;* ibid. *commodidati — gravitati — libertati* cf. 12. 23. 32. et p. Quinct. §. 75 ita se graves esse, ut si *veritatem* volent *retinere, gravitatem* possint *obtinere.*

Plura etiam huius Asiani moris dicendi exempla ex his duabus orationibus afferre possum, sed supervacaneum esse puto, quia etiam posteriores orationes vestigia praebent Asiatica et quia sequentes duae dissertationis partes dignae sunt, quae planius et copiosius tractentur.

Pars II.

De poëtarum lectione in Ciceronis sermone conspicua.

Quamquam Cicero summo studio atque labore in Graecis legendis versabatur, tamen non contemnebat Latinos, sed pluribus locis contemptores illos sermonis patrii vituperat, „qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere (fin. I,1)“ nec satis eruditos eos nominat, quibus Latinae litterae ignotae sunt (l. l. §. 5). Atque Cicero quanta diligentia quantoque amore domesticos fabularum scriptores legerit, apparet ex multitudine locorum, quibus versus aliquos ex iis profert.*) Quin haec lectio tantam vim habuit ad Ciceronis sermonem, ut multa in eo inveniantur, quae inde hausta sunt. Cuius rei exempla praecipue in prioribus operibus suppeditare, ex eo intelligitur, quod tum adulescentulus Cicero sermone nondum satis exculto ac perpolito aliena verba et voces persequebatur. Quae *imitatio* qualis sit in his orationibus in hac *altera* parte demonstrandum est.

Et primum eos locos afferamus, quibus *sententias* quasdam et *proverbia* ex illis inducit, tum singulas *locutiones* et *vocabula*, quae inde profecta videntur.

---

*) Tragicorum poëtarum imprimis *Ennium* adamavit, quem c. 160 locis citat cf. Hoppe „Zu den Fragmenten und der Sprache Ciceros.“ Gumbinnen 1875. p. 5.

I. De sententiis.

Cicero in duabus his orationibus unum tantum nominatim poëtam profert *Caecilium* p. R. A. §. 46. Eodem loco causam adscribit, cur tam libenter de poëtarum fabulis mentionem faciat, quia „homines natos sumere odiosum est" *) et paulo infra „etenim haec conficta arbitror esse a poëtis, ut effictos nostros mores in alienis personis *expressamque imaginem vitae cotidianae videremus*". Similis locus est p. R. Com. §. 20: nam Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem cum agit (sc. Roscius), agit Chaeream: persona illa lutulenta, impura, invisa in huius *moribus, natura vitaque est expressa* (cf. §. 50). Hoc loco Cicero illum Ballionem Plauti in Pseudolo (II,3) significat, qui a Pseudolo et Callidoro isdem fere conviciis corripitur, velut *periurissimus* = Pseud. v. 351; *leno* = v. 365; *impurus* = v. 365; *lutulentus* = *caenum* v. 366. Quam scenam Cicero mihi etiam in orat. p. Quinct. §. 56 ante oculos videtur habuisse, ubi Naevio simili modo maledicit, ut *fraudulentus* = v. 365 et sibi ipse respondit, *non negas* = *itast,* dicis vera v. 359; *vulgaria et obsoleta* sunt = *vetera* vaticinamini v. 363; cf. de rep. II §. 55 neque ego haec nunc sine causa tam *vetera* et tam *obsoleta decanto.*

Certe ex tragico loco sumpta sunt verba p. R. Am. §. 67: *taedis ardentibus***). Ipse Cicero in libro suo quae inscribuntur Academica II, 89 locum *Ennianum* affert:

„Caéruleo incinctae ángui incedunt, circumstant cum *ardéntibus taedis* (cf. Ribb. 28 et p. 269).

Atque hic illustris locus de diris furiis ut Ciceroni ipsi videtur placuisse, quippe quem pluribus locis repetiverit, ita non Ciceronis ingenio natum, sed ex *Aeschine* ascitum esse primus vidit Hotomannus.

---

*) Haud scio an ab hoc loco Ciceroniano origo repetenda sit illius vocis, quae nostra aetate pervulgatissima est: *nomina sunt odiosa.*

**) Aliis locis Cicero semper dicit „faces ardentes", velut Verr. IV, 74; etiam Liv. VII, 17,3; at Sueton. Nero 34: exagitari se materna specie, verberibusque furiarum ac *taedis ardentibus.*

p. R. Am. §. 67

Nolite enim putare, quemadmodum *in fabulis* saepenumero *videtis,* eos qui aliquid impie scelerateque commiserint *agitari* et perterreri *Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus* et suus terror maxime vexat: suum *quemque* scelus agitat amentiaque adficit: suae *malae cogitationes* conscientiaeque animi terrent. *Haec sunt impiis* adsiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetunt.

in Pis. §. 46

Nolite enim putare ut in *scena videtis* homines *consceleratos impulsu deorum* terreri furialibus *taedis ardentibus. Sua quemque fraus,* suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. *Hae sunt impiorum Furiae,* hae flammae, hae faces.

de leg. I, 14, 40: eos *agitant* insectanturque Furiae, non *ardentibus taedis* sicut *in fabulis,* sed *angore conscientiae* fraudisque cruciatu.

Aeschin. in Tim. 180 Sch. μὴ γὰρ οἴεσθε τὰς τῶν ἀτυχημάτων ἀρχὰς ἀπὸ θεῶν, ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων ἀσελγείας γίγνεσθαι, μηδὲ τοὺς ἠσεβηκότας καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις Ποινὰς ἐλαύνειν καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις. ἀλλ' αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖσθαι, ταῦτα πληροῖ τὰ λῃστήρια — ταῦτ' ἐστιν ἑκάστῳ Ποινή.

Ab Ennio verba „δᾷδες ἡμμέναι“ conversa sunt „taedae ardentes“. Inde sequitur, ut „δᾶδες ἡμμέναι“ certa quaedam locutio fuerit in Graecis fabulis, unde Aeschines eam sumpsit, quemadmodum „taedae ardentes“ in Latinis, unde Cicero ascivit. Verisimile est Ciceronem adulescentulum ut alios Graecorum libros, sic hanc orationem Aeschinis exercitationis causa in Latinum transtulisse atque ex ea selectas quasdam sententias egregias vel litteris vel mentibus mandasse. Quin etiam illas orationes Aeschinis et Demosthenis „de corona“ Ciceronem iam adulescentulum convertisse et anno 44, cum librum „de optimo genere dicendi“ scripserit, cui has orationes conversas quasi optimum exemplum inseruit, iterum recensuisse atque limavisse crediderim.*)

---

*) Gravissimus huius rei locus mihi est de Or. I, 34, 155, ubi Cicero Crassum loquentem facit: Postea mihi placuit eoque sum usus ***adulescens***, ut

Pariter Ciceroni in orat. p. Quinct. §. 12, ubi sententiam profert: „Fit magna mutatio *loci,* non *ingenii* Aeschinis locus in Ctes. §. 18 ante oculos versatus esse mihi videtur: οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξεν, quae est pulcherrima paronomasia: τρόπον — τόπον. Horatius quoque hac sententia usus est in epist. I, 11, 27 *caelum* non *animum* mutant.

Ex comico quodam loco profectum videtur esse illud p. R. Am. §. 140: *quam viam múnitet, quod iter adféctet.* Nam verbum frequentativum „munitare" hoc tantum loco invenitur et formula „iter ad aliquid adfectare" comicis poëtis usitatissima est, velut Pl. Men. 686; Aul. 567; Ter. Haut. 301; Phorm. 964.

Deinde locum p. R. Am. §. 90: *Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?* scholiasta adnotat ex fabula Ennii, „Achilles" sumptum esse.

Tum verbis *„nuntius volucer"* quae tantum in his orationibus leguntur p. Qu. 80; p. R. A. 102 Cicero poëtici cuiusdam loci recordatus usus esse mihi videtur, id quod etiam Richterus suspicatur; cf. p. Qu. 80 O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuntios seu potius *Pegasos* habeat; R. A. 98 non suis manibus in curru collocat *Automedontem* illum, sui sceleris . . . *nuntium?* et locum Verg. in Catal. XI v. 26, ubi Hippomenes, qui Atalantam cursu vicerat, nominatur: *volucer.*

Denique poëticum quendam colorem ducit locus p. Quinct. §. 93: *non ab adflicta amicitia transfugere atque ad florentem aliam devolare* *). Verbum *transfugere* translate usurpatum exstat apud Plaut. Mil. 589: „nam illius oculi atque aures atque opinio *transfugere* ad nos" atque verbum *devolare* de perfidis amicis nullo alio loco apud Ciceronem invenitur, contra ap. Cornif. IV §. 24 et ibid. §. 61: *devolant* omnes.

---

summorum oratorum *Graecas* orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut quum ea quae legeram Graece *Latine redderem* non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea cf. Quintil. X, 5, 2.

*) Vocabula *florens* et *adflictus* sic opposita sunt etiam ad Attic. III, 10, 2 quem *florentissimum* reliquerat, perditum *adflictumque* offerre; Tacit. ann. IV, 68 laudare, quod non ut ceteri *florentis* domus amicus *adflictam* deseruisset. In recentissimo lexico Taciteo (Gerber et Greef 1877) ad hunc locum Tac. s. v. adfligo adnotatum est „cf. Cic. p. Sull. 5, 15 ab adflicta amicitia ad florentem volare." Sine dubio locum p. Quinct. §. 98 citare voluerunt; nec enim inveniuntur haec verba in or. p. Sull. 5, 15.

Illud etiam monendum est Ciceronem in his orationibus nunquam ad proverbia si quae profert quasi excusationis causa, id quod in posterioribus facit, addere: *ut aiunt, ut dicitur* etc, veluti Verr. V §. 53 ut hoc beneficium *quemadmodum dicitur* clavo trabali figeret (cf. Hor. carm. I, 35, 18); Cael. §. 28 ad bonam frugem *ut dicitur* recepisse; Phil. III, 11, 27 ovium *ut aiunt* lupus, alia cf. Lael. §. 19 pingui *ut aiunt* Minerva, Hor. sat. II, 2, 3 crassa Minerva. At in orat. p. R. Am. §. 80 legimus: *una mercede duas res assequi* (cf. Plaut. Amph. 488 Pater curabit, *uno* ut *labore* absolvat *aerumnas duas;* et fam. VII, 29, 2 duo parietes de eadem fidelia dealbare „zwei Mücken mit einer Klappe schlagen") et ib. §. 128 *capiti mederi debeo et reduviam curo* (sich mit einer Bagatelle befassen) nulla addita eiusmodi formula.

Gravissimum huius rei exemplum est p. Quinct. §. 50 *vivus vidensque,* ut Ter. Eun. 72; Lucret. III, 1045 vivus atque videns (cf. ib. VI, 991 viva videns vivo sepeliri viscera busto): at in orat. p. Sest. §. 59 legimus vivus *ut aiunt* et videns cum victu ac vestitu suo publicatus. Ex hoc loco orationis Sestianae intelligimus etiam *„victus ac vestitus" proverbialem* quandam formulam esse, quam in orat. p. Quinct. §. 49 quoque legimus: *victus vestitusque necessarius* cf. Ter. Haut. 968 victus vestitus; Liv. 45, 32; Sen. rem. fort. 10, 8 victum vestitumque necessarium; Tertull. ad uxor. 1, 4; de monog. 16; Corn. Nep. Ages. VII, 3: nihil de victu, nihil de vestitu mutavit.

Saepissime in poëtarum sermone invenimus *proverbiales* locutiones: *fortunas accusare* (vel similia verba) de iis hominibus dictum, qui suo iure de miseriis suis conqueruntur, et contrariam: *fortunas laudare.* Quarum hanc Cicero usurpavit in Tuscul. V §. 115 fortunas laudare, ut Ter. Andr. 97 (Donatus adnotat: fortunas ἐμφατικώτερον esse quam fortunam); Lucr. II, 1167 laudat f. saepe parentis; Plaut. Rud. 523; Hor. sat. II, 7, 23 fortunam l.; illam tantum in orat. p. R. A. §. 57 *fortunas suas accusare.* Pro verbo accusare dicit Cic. de inv. I §. 109 fortunas *conqueri* duce Cornificio II §. 50 fatum aut fortunam conqueri; similiter Plaut. Asin. 517: ego meas *queror* f.; Mil. 125 *conqueri* f. suas; Cas. II, 1, 14 meas f. *eo questum;* Turpil. 177 R. *gemo* meas f.; Senec. apoc. 12 B. f. suas *deplorare;* Phaedr. I, 9, 10 deplorare fata sua; Ovid. ex Pont. III, 41 fata gemere; Phaedr. IV, 17, 1 *de fortunis* suis queri, ut Cicero in posterioribus orationibus, veluti

Verr. II §. 65 *de incommodis* deplorare; ib. §. 10 *de miseriis* deplorare; p. Mur. §. 55 *de fortuna* conquerar.

Tum formulam commemoramus, quae creberrima invenitur: *per fidem aliquem decipere* i. e. datam nec servatam, ut p. Rosc. Am. §. 110 istius fide vel potius perfidia decepti; ib. §. 116 per eius fidem laeditur; cf. de invent. I, 71 qui nos per fidem fefellerunt. Praeterea apud Plaut. Most. 500 p. f. deceptus sum; Ter. Phorm. 469 propter f. decepta; Liv. 38, 25, 16 p. f. violati; ib. 1, 9, 13 per fas ac f. decepti; Senec. de prov. 3, 7 multa milia civium uno loco post fidem imo per f. trucidata.

II. Jam venimus ad singulas *elocutiones et voces*, quae ex poetarum sermone, vel etiam ex sermone plebeio natae sunt.

A. elocutiones

1. Perspicuitatis sententiaeque confirmandae studio inducti homines plebei singulis vocabulis alterum vel plura idem significantia addunt. Cuius *pleonasmi* permulta exempla invenimus apud comicos poëtas, qui hunc sermonem imitari studeant. Ac Cicero in duabus prioribus orationibus si nonnulla eiusmodi admisit, licentiae illi atque impunitati dicendi tribuere debemus, quam ipse in iis reprehendit. Huc spectant

p. Quinct. §. 47 *invito* atque *ingratiis* cf. Pl. Cas. II, 5, 7 vobis *invitis* atque *ingratiis;* Ter. Haut. 446 ea coacta ingratiis (de plebeia voce „ingratiis“ v. p. 29).

ib. § 51 *vi ac necessitate coacti inviti* cf. Ter. Phorm. 214 scio: vi coactum te esse invitum; Andr. 632 coacti necessario; Plaut. Mil. 449 vi atque invitam ingratiis rapiam te (cf. Soph. O. C. 395 βίᾳ τε κ'οὐχ ἑκών).

p. R. Am. §. 125 *non novi neque scio* cf. Plaut. Mil. 452 neque novi neque scio; Epid. IV, 2, 7 neque scio neque novi; Aul. IV, 10, 36 neque scio nec n.; Ter. Eun. 374 neque novit neque scit; ib. 351 nostin' et scis ubi siet? (cf. Soph. El. 131 οἶδά τε καὶ ξυνίημι).

p. R. Am §. 8 *metuere atque horrere* cf. Ter. Eun. 84 tremo horreoque; Pl. Mil. 1348 metuoque et timeo.

p. Quinct. §. 15: de *ratione atque re* Gallicana, ib. §. 19 de *rebus rationibusque:* formulam „res rationesque“ antiquam esse et paene proverbii locum obtinere, ipsa alliteratio indicat. Praeterea legimus apud Plaut. Pseud. 605 res rationesque; Amph.

prol. 4; Capt. 673 res ac rationes; Epid. II, 3, 7; Varr. sat. Men. 509 Buech. quicum mihi nec res nec ratio; Lucil. fragm. IX, 44 res ipsa ac ratio. — Amm. Marcell. 31, 10, 15 res rationesque imitatus Plautum vel Ciceronem.

Ad sermonem rusticum spectat etiam pleonasmus: *rursus reverti,* quem legimus p. R. Am. §. 41 cf. Plaut. Mil. 592 (plura exempla collegit Brix. ad Mil. 701); b. Hisp. 40, 8 rursus recurrit; Petron. fragm. 38, 9 B. rursus redire.

Denique pleonasmi causa locum affero, qui non tam plebeium quam poëticum colorem ducit p. Quinct. §. 38: qui usque eo *fervet ferturque avaritia* cf. Att. 450 R. cor ira fervit caecum, amentia rapior ferorque; Hor. ep. I, 1, 33 fervet avaritia.

2. Sermonis vulgaris est verbis *facere, capere, reddere* similibusque uti ad locutiones efficiendas. Ac verba coniugationis I. ab adiectivis in *us* desinentibus derivata in prisco sermone intransitivam vim habuisse et sequentibus demum temporibus transitiva facta esse subtilissime ostendit H. Müllerus in libello suo: „de generibus verbi" p. 38 (Greifswald 1864); veluti *tardare* ab adiectivo *tardus* in prisco sermone significabat *tardum esse,* ut Cicero semel dicit *tardandum esse* ad Att. VI, 7, 2, vel Plautus *durare* = durum esse. Ad transitiva efficienda priscus sermo utebatur verbo *facere,* veluti *durum facere, vastum f.* = vastare, *saucium f.* = sauciare (Cat. fragm. Jord. 19, 9; Sisenn. ap. Non. 80, 5; Turpil. ap. Non. 398, 5; Pl. Pers. I, 1 24; b. Afr. 70; Cicero semel in or. p. Tull. §. 55). Quorum quaedam etiam in sermonem urbanum irrepserunt, ut *certiorem aliquem facere**). Similis locutio est *facere aliquid certum alicui,* ut Plaut. Men. 242; Pseud. 577 (certius Men. 763). Eiusmodi locutionem invenimus maxime frequentatam in Ciceronis prioribus libris et orationibus, magis magisque rariorem in posterioribus: *planum facere* aliquid alicui = *explanare* p. Quinct. §. 78. 86; p. R. Am. 54 (bis). 58. 65. 101; in Verrinis saepissime; de invent. I, 92. 98. 100 (Cornif. II, 5; IV, 37); praeterea apud Lucret. II, 934 et apud Plautum in proverbio quodam, qui usus proverbialis nescio an nonnihil effecerit, ut haec formula retineretur: Mil. 1018 fecisti modo mi ex proclivi planum; Rud. 1132

---

*) *positivum* legimus: Plaut. Pseud. 16. 1079; Verg. Aen. III, v. 179 *certum* facere = certare, ut *incertum* f. = incertare, quod verbum exstat Pacuv. 150 R. et Pl. Epid. IV, 1, 18 longa Dies meum incertat animum.

faciam ego hanc rem ex proclivi planam. Similiter Cicero pro „planum f." utitur duobus locis: *perspicuum* f. p. R. Am. §. 18; Verr. act. pr. §. 5; cf. Cornif. IV, §. 53.

Praeterea sermo rusticus et — ex imitatione eius — sermo comicus saepissime verbis *facere* et *capere* utuntur cum substantivis coniunctis pro *simplicibus* et *propriis* verbis, velut *fugam facere* = fugere Ter. Eun. 787; *obsequentiam f.* = obsequi Pl. Asin. 65; *ruinas f.* = ruere Lucr. I, 740; Hor. sat. II, 8, 54; *numerum capere* = numerare Pl. Aul. IV, 10, 68; *modum c.* = moderari Aul. III, 5, 14; *rationem c.* = ratiocinari Pl. Pseud. 594; Ter. Haut. 959 alia; etiam apud Ciceronem tales compositiones invenimus, ut *medicinam facere* = mederi p. Quinct. §. 8, cf. Plaut. Men. 99; Cist. I, 1, 76; Curc. 160; *gratulationem f.* = gratulari fam. XI, 18. Quarum locutionum una in communem optimorum scriptorum usum recepta est: *coniecturam facere* vel *capere.* Ac c. *facere* dicunt poëtae comici omnibus locis (cf. Plaut. Men. 164; Curc. 246 etc.; Ter. Andr. 512; Haut. 266, 574; Ad. 822) et Cicero in orationibus decies, *capere* tris (locos Cic. v. apud Merguet „Lexicon zu den Reden des Cicero" vol. I A — C 1877 s. v. capere et coniectura).

Denique verbum *simplex* „capere" usurpabatur in antiquo sermone, ubi sermo urbanus maiore cum subtilitate *compositis* utitur; sicuti etiam in oratione Ciceronis prima p. Quinct. §. 45 legimus „petitoris personam *capere,* accusatoris deponere"; aliis locis utitur verbo composito *suscipere,* ut in Orat. I, 37, 169 personam suscipere. Similem in modum reperimus apud comicos: formam *capere* et statum Pl. Amph. 266; gestum vultumque *capere* Ter. Phorm. 890 *).

Huic loco inserere licet formulam „*iniuriam facere*" sine dativo pro *iniuste facere;* illam legimus Quinct. §. 31; R. Am. 146; fam. III, 8, 3; hanc Flacc. §. 41 iniuste facis.

3. Quas nunc tractamus tres elocutiones a *iuris consultorum* sermone natae inde in sermonem cotidianum influxerunt **).

---

*) De simili formula „laborem capere" quae legitur in orat. p. R. Com. §. 49 vide addidamentum ad or. p. R. Com. p. 48.

**) De commercio quodam verborum inter sermonem iurisconsultorum et hominum plebeiorum pauca notat *Rebling* in libello: Versuch einer Characteristik der röm. Umgangssprache, Kiel 1873 p. 19.

a. p. R. Am. §. 3: non modo *ignoscendi* ratio, verum etiam *cognoscendi* consuetudo iam de civitate sublata est. Halmius adnotat: *cognoscere* ist der technische Ausdruck vom Untersuchen eines Verbrechens, wovon man bei dem summarischen Verfahren der Proscriptionen Umgang genommen hatte. Hanc formulam invenimus etiam in libro de inventione, quem Cicero adulescentulus scripsit §. 105: magis in hoc quidem *ignoscendi* quam *cognoscendi* postulatio valuit cf. Ter. Haut. II, 1, 5 et *cognoscendi* et *ignoscendi* dabitur peccati locus.

Inde ut iuris consulti verbo *„cognoscere"* utebantur de iudicibus, ita poëtae comici de spectatoribus qui „rem cognoscunt" cf. Ter. Andr. prol. 24; Eun. prol. 42 quare aequomst vos cognoscere et ignoscere; Hec. prol. 8; Varr. sat. Men. 217 B. adeste et a me quae feram cognoscite.

b. Altera iudicialis locutio est *actum est* = die Verhandlung ist geschlossen; inde in sermone cotidiano formula desperantis de sua salute facta est = est ist alles aus cf. Plaut. Stich. 750; Cist. IV, 2, 15; Trin. II, 2, 27, ib. II, 4, 194; Ter. Andr. 465, Eun. 53. 984 et uno loco in Ciceronis orationibus p. R. Am. §. 150, duobus in epistulis: Attic. V, 15, 1; fam. XIV, 3, 3; cf. Cornif. IV §. 65.

c. *iudicium accipere* dicit Cicero tantum in or. p. Quinct. §. 62. 63. 66. 73. 82. 83 et semel Verr. III §. 55; omnibus aliis locis orationum iudicium, causam *suscipere* excepto uno Pis. §. 13 causam accipere; cf. Plaut. Most. 1144 litem accipere; Ter. Hec. 55 causam accipere.

4. *Sermoni familiari* propriae sunt hae formulae:

a. quid illum censes (Ter. Andr. 853) = wie denkst du von ihm? cf. Plaut. Curc. 59 quid illum putas? Ter. Ad. 208 quid illas censes? Cic. *p. R. Am. §. 49* quid censes hunc ipsum?

b. Interrupta oratione ut repeterent quae coeperant utebantur comici formula: *ita ut occepi* cf. Pl. Stich. IV, 2, 1, sed ita ut occepi dicere; Trin. 162 sed ita ut occepisti perge porro proloqui; praeterea Pers. IV, 3, 49; Curc. I, 1, 43; Poen. II, 24; etiam Petron. 75 sed ut coeperam dicere; 62 quod coeperam dicere; uno loco Cicero in or. p. R. A. §. 91 *ut coepi dicere;* postea *„ut institui dicere"* cf. Verr. II, §. 41; ib. §. 24 uti d. i.; ib. §. 65 quod i. d.; Caec. §. 15 ut d. institueram; de rep. II §. 22 quare perge ut instituisti.

c. R. A. §. 52 numquid est aliud? immo vero *est;* et §. 107 *numquisnam* praeterea? nemo *est;* cf. Pl. Trin. numquis est hic alius praeter me atque te? *nemost;* Ter. Eun. 549 numquis est? *nemost*; Phorm. 852 etc. Repetitio verbi *esse* in hac formula notanda est; nos dicimus: ist Jemand da? Niemand omissa repetitione; de hoc usu scripsit Ritschelius in Mus. Rhen. VII p. 599 sq. De vocabulo „numquisnam" v. p. 36.

d. Eodem spectat p. R. A. §. 99 *nescio: nisi hoc video,* qua in formula *„nisi"* accedit ad vim coniunctionis *sed.* Creberrima invenitur apud comicos cf. Pl. Rud. 751 nescio nisi scio; Ter. Eun. 827 nescio nisi credo; Andr. 663; Phorm. 952; breviata comparet Phorm. 474 nescio nisi cessavit, Haut. 541 aliisque locis.

e. Ex sermone augurum recepta est ab hominibus plebeis formula: *hoc age* *) = darauf merke cf. Pl. Mil. 1114; Ter. Phorm. 435 etc. Contraria huic est formula: *alias res agere* = unaufmerksam sein cf. Ter. Eun. 347, Hec. 826; Publ. Syr. 115 R. caeci sunt oculi cum animus *alias res agit;* semel a Cicerone usurpata est in orationibus: p. R. A. §. 60 eum iocari et *alias res agere,* bis in dialogis: de Or. III §. 51; Brut. §. 233.

f. *certum est* sive *decretum est* = ich bin fest entschlossen legimus saepissime apud Plautum, ut Most 237. 667. 1090; Cist. 8. Lucil. 690 L.; Verg. Aen. 9, 153; auct. bell. Afr. 44, 4; *decretum est* Cist. 317; Mil. 77; Merc. 1; Stich. 208 etc. Cicero dicit uno loco *„certum est deliberatumque"* p. R. A. §. 31 ut Turpil. ap. Non. 282, 10 unoque loco *„quod certum est"* sc. *mihi* ib. §. 83; aliis locis pronomen additum est: si *tibi* deliberatum est p. R. Com. §. 44; *mihi* certum est Verr. a. pr. §. 53; Caec. 24; Cluent. 1. Similis comicorum formula est: *certa res est* cf. Pl. Trin. 270; Ter. Andr. 368 etc.

g. Sermoni cotidiano tribuenda est locutio: *paratus meditatusque.* Ruhnken. adnotat recte ad Rut. Lup. II, §. 5: *meditatus venire* in formula dicitur, qui dolis et fraudibus instructus venit. Vocabulum *meditatus* ex sermone histrionum ortum est

*) cf. Plut. Num. c. 14, 20 ὧν ἴχνος τι μέχρι νῦν διασῴζοντες ὅταν ἄρχων πρὸς ὄρνισιν ἢ θυσίαις διατρίβῃ βοῶσιν· Ὃκ ἄγε· σημαίνει δὲ ἡ φωνὴ τοῦτο πρᾶσσε. Cor. 25.

cf. Pl. Pers, IV, 2, 4: sed satin' estis meditati? Tragici et Comici nunquam aeque sunt meditati. Cicero hanc formulam in sermonem suum ascivit atque in orationibus reperimus tris: p. Q. §. 39; Verr. II, §. 17 *paratus meditatusque venire;* ib. I §. 103 *meditati paratique venimus;* praeterea de leg. I, 4, 12 *paratus et meditatus* accedere et apud Lactantium Ciceronis imitatorem Div. I, 5 §. 9 meditatus venerat ac paratus. Formulam *„paratus venire“* invenimus Verr. II §. 37. 91; Lig. 1; ep. fam. X, 12, 4; XII, 2, 1, cf. Varr. r. r. I, 5; Ter. Andr. 909; ib. 406 *meditatus venire;* Pl. Trin. 817; Mil. III, 3, 29 meditatum mittere. Similis formula est: *paratus atque instructus,* quam legimus Cic. Verr. I, §. 7; Sall. h. I, 74, 2; ib. 53, 5; Liv. III, 14, 4; XXXIV, 28, 8 eosque imitatus Amm. Marc. XXVII, 2, 1 instructus paratusque. Eandem vim habet formula *factus institutusque,* ep. ad. Att. II, 24, 3.

5. Ex poëtarum lectione locum in orat. p. Qu. §. 62 interpretandum puto: „At quis erat procurator? Credo aliquem *eiectum* hominem, *egentem,* litigiosum, improbum ... Nihil minus. Eques Romanus locuples ...“ quo loco vocabulum *„eiectus“* non recte intelliges, nisi comparaveris locum Plautinum Rud. 409 timidas, *egentes, eiectas* et Vergilianum Aen. IV, 373 *eiectum* littore, *egentem* excepi; quibus ex locis apparet haec adiectiva poëtas una ponere solere. Neque haec vox „eiectus“ significationem vocis *abiectus* = improbus habet, sed ut ex coniuncto cum ea adiectivo „egens“ et ex contrario „locuples“ elucet hanc vocem translate usurpatam (de naufrago) vim habere vocabuli *„tenuis“,* quemadmodum ipse Cicero ait Cat. II §. 20 homines tenues atque egentes.

6. Simili modo in duabus prioribus tantum orationibus Cicero adiectiva *horridus* et *aridus* una ponit: p. Quinct. §. 93 *vita horrida atque arida;* p. R. A. §. 93 *in victu arido, in hac horrida incultaque vita.* Equidem etiam hoc loco Ciceronem adnominationis studio ad hanc formulam adductum esse puto, veluti comici similem in modum una ponunt *avidus, aridus* cf. Pl. Pers. II, 3, 14 triparcos homines, vetulos, *aridos, avidos;* Ter. Haut. 526 *avidum,* miserum atque *aridum.* Quin etiam propter hanc ipsam paronomasiam in formula *horridus — aridus* scribendum esse contendam vocabulum aridus cum aspiratione: *haridus.* Simillimus est ille versus, quem Varro L. L. p. 29 M. affert ex

aliquo poëta: *Onus* est *honor,* quo loco scribendum est ex fide codicis Gothani „Honus est honos“, praesertim cum Gellius II, 3 honera pro onera et honustus pro onustus antiquiores formas esse demonstret *). Aspirationis enim rationem cum temporibus saepius mutatam esse, ait Quinctil. I, 5, 19. Ceterum vocabulum „*aridus*“ cum aspiratione scriptum inveni apud Nonium 448, 25, qui ex Varronis sat. Manio hunc versum affert: „Et cum corrigia disruptas tonat *haridum*“ (cf. in ed. Buech. n. 267). In altera formula utrum scribas vocabula *avidus, aridus* cum aspiratione necne, nihil interest; namque etiam sine aspiratione alliteratio integra est. Vocabulum aridus significatione vocis sordidus (knauserig) usum magis sermoni poëtarum proprium esse intelligimus praeter quos iam protulimus locos etiam ex Pl. Aul. II, 4, 18 a. senex; Mart. X, 87, 5 a. cliens; X, 75 sportula a.

7. *dedita opera* sive *opera dedita* = consulto, de industria p. R. A. §. 104 formulam quandam antiquiorem esse ex eo apparet, quod Ciceronis aetate non iam dicebant: operam *dedere,* sed op. *dare,* quare etiam Cael. in ep. ad Cic. (fam. VIII, 1, 1) dicit *data opera.* Veteres autem poëtae etiam locutione op. *dedere* utebantur, velut Pl. Ba. 93 tibi *dedo* op., itaque *dedita opera* legimus: Nov. ap. Non. 210, 25; Afran. ap. Non. 529, 1; Pl. Trin. 67; Cist. IV, 1, 18; Poen. III, 1, 5; Ter. Eun. V, 2, 2. Cicero hanc formulam admisit praeter illum locum unum in orationibus: de Or. III §. 17; ib. §. 193 op. ded. et in epistulis, cf. ad Att. VIII, 14, 1; ib. XI, 8 fin. ded. op. aliquem mittere (= durch einen Expressen); ib. XV, 4, 4; cf. ib. X, 8 A 2 (epistula Antonii ad Cic.); Cornif. II §. 47. Ceterum in ep. XV, 4, 4 habent codices *dedita* — oratione *elliptica* — nec recte mihi editores vocem „opera“ adiecisse videntur, quam eodem modo omissam videmus apud comicos in formulis unā, eādem scil. opera = zugleich cf. Brix. ad Trin. v. 578; Lorenz ad Most. 249. Atque solam vocem *dedita* hac vi praeditam usurpatam esse, demonstrat glossarium: dedita ἐπιτηδές et locus quidam ap. Paul. excerpt.

*) Ceteros locos huius pervulgatissimae alliterationis „onus — honos“, (oneratus — honoratus) collegit Ruhnken. ad Rut. Lup. I §. 3 et Peiper, Mus. Rhen. 1877 p. 519.

ex Fest. p. 70 M., quem ad hanc formulam pertinere puto: *dedita intelligitur valde data.* Cfr. Liv. II, 29, 2; 51, 5.

8. Pariter locutio „*primo diluculo*", quam legimus p. R. A. § 19 prisco sermoni attribuendum videtur. Haec vox spectat ad antiquam Romanorum civilis diei divisionem, de qua agit Censorin. de die nat. c. 24, Macrob. I, 3, 12 alii. Macrobius interpretatur diluculum: id est cum incipit dinosci dies. Ceterum hae voces raro inveniuntur apud poëtas et perraro apud scriptores orationis solutae cf. Censorin. l. l.: „plura noctis et diei tempora... quae apud *veteres poëtas* passim scripta inveniuntur"; ut *primulo diluculo* Pl. Amph. II, 2, 105; *cum diluculo* ib. 111; *diluculo* Afran. 70 R., Cic. ad Att. XVI, 13, 1; *primulo crepusculo* Pl. Cas. prol. 40; *primo crep.* Plaut. ap. Varr. L. L. VII, 77 M.; *conticinio* Pl. Asin. 685.

9. *inorata re* p. R. Am. §. 26 prisca formula est, in qua *orare* idem valet ac *dicere* vel *agere* (inde orator = legatus apud veteres cf. Cic. Brut. §. 55; de Or. I. §. 202; Varro ap. Non. 529, 28); Enn. fragm. 4 R. incerta re atque *inorata.*

B. vocabula.

Nunc venimus ad singula vocabula, quae item ex poëtarum sermone vel ex usu cotidiana hausta videntur.

I. Substantiva.

a. vocabulum *consuasor* p. Qu. §. 18: auctore et consuasore Naevio est ἅπαξ εἰρημένον, sed verbum *consuadere* poetae comici usurpant cf. Pl. Trin. 527. 670. Asin. 261. Merc. 143. De compositione verborum cum *con-* et *ad-* (cf. supra p. 11 *concredere*) in comicorum sermone pluribus verbis disserit Lorenz praef. comm. ad Pseud. p. 37.

b. p. Qu. §. 53 si in parvula re ... *captionis* aliquid vererere.

Vocabulo „*captio*" significante *fraudem* Cicero hoc uno loco utitur, sed legimus apud Plautum Asin. 790; Epid. II, 2, 112; V, 2, 36; Truc. II, 7, 65. Rarior est altera huius vocis vis = *damnum,* qua utitur Cicero uno loco in ep. ad Att. V, 4, 4 mea captio est = mein Schaden ist es cf. Pl. Epid. V, 2, 36 et Most. V, 2, 23 istaec captiost; ib. III, 3, 19; Vitruv. X, 19, 7 sine captione; Gai. Dig. 29, 3, 7.

c. p. R. A. §. 62: quod in minimis *noxiis* et in his levioribus peccatis . . . et maxime et primum quaeritur.

Noxia sive *noxa* priscum vocabulum est, quod iam invenimus in XII. tabulis et in lege quadam apud Cic. de leg. III, §. 11 cf. Festus p. 175 M. noxa ponitur pro peccato aut peccati poena, quum *lex* iubet *noxae dedere* pro peccato; ib. p. 174 noxia *damnum* significat, apud poetas autem et oratores ponitur pro *culpa.* Atque Plautum et Terentium tantummodo formam „*noxia*“ usurpare, adnotat Brix. ad Pl. Trin. I, 1, 1; cf. Mil. 1416; Merc. IV, 3, 30; Bacch. 1005 etc., Ter. Haut. 298; Ph. 225; Eun. 852 etc. — Ex Hortensio Non. 438, 25 affert locum tertium Ciceronianum.

d. p. Q. §. 19 in ipso *articulo* temporis.

Articulus = discrimen rerum (entscheidender Augenblick) hoc uno loco in Ciceronis operibus reperitur; sed ex usu comicorum cf. Pl. Epid. III, 4, 55 in eo *articulo;* Men. I, 2, 31; Ter. Ad. 229 in ipso *articulo* augurari licet hoc vocabulum florente sermone Latino potius poëticum colorem prae se tulisse. Sed a scriptoribus argenteae quae dicitur Latinitatis repetitum est, cf. Plin. H. N. II, 97, 216 in ipsis temporum articulis; Val. Max. IV, 2, 2 in aspero ac difficili temporum articulo; Suet. Claud. 4 si de singulis articulis temporum deliberabimus; Curt. III, 5, 11 in quo articulo rerum mearum; Amm. Marc. XVI, 12, 37 in ipso proeliorum articulo; ib. XXVII, 9, 6; XVIII, 2, 5 adigente necessitatum articulo.

II. Adiectiva.

In hac particula dissertationis nobis de usu quodam duorum adiectivorum *vetus* et *antiquus* dicendum est, quem Cicero in his tantum orationibus tam religiose secutus est. Utitur enim utroque translato sensu; atque vocabulo *antiquus* in bonam partem (ut nos alt = bieder), *vetus* in malam (nos: gewiegt). Et vocem *antiquus* iam a poëtis tragicis et comicis hac bona significatione praeditam invenimus, ut apud Pacuv. 80 R. cives antiqui; Att. 585 antiquam castitudinem; Enn. 277 more antiquo; Varr. sat. 303; Pl. Pseud. 1190 ex antiquo sc. more; Capt. 101 adulescens antiquis moribus; Ter. Andr. 442 cives antiqua virtute ac fide; et illud: antiquom obtines = du bist

noch ganz der biedere Alte Ter. Andr. 817 aliisque locis. Sed vocem *vetus* mala vi usam nullo loco apud eos inveni, deminutivum *vetulus* ap. Plaut. Pers. II, 3, 14 triparcos homines, *vetulos,* et ap. Lucil. ap. Non. 240, 10 veteratorem'lum, *vetulum* lupum, Hannibalem; quod vocabulum *veterator* Donatus ad Ter. Andr. 457 interpretatur: est vetus in astutia et qui in omni re callidus est; veterator enim in bonam quoque partem usurpatur, ut Cic. de rep. III §. 26 veteratores in disputando; Gell. II, 1 in litteris veterator.

Itaque Cicero mihi primus haec vocabula *antiquus* et *vetus* translato sensu praedita tam accurate distinguere videtur conatus esse idque in prioribus his orationibus tantum, nam in posterioribus hanc legem aspernatus est:

p. Qu. §. 29 *vetulus* gladiator;

p. R. A. §. 17 *vetus* gladiator; §. 28. v. accusator (cf. Brut. §. 260); §. 39 v. sicarius; §. 61 v. calliditas.

p. Q. §. 59 *antiquam* officii rationem dilexi; §. 72 homines *antiqui* officii.

p. R. A. §. 26 homines *antiqui;* §. 27 vestigia *antiqui* officii

sed p. Planc. §. 22 retinens *veterem* illam officii rationem; Vatin. §. 32 morem *veterem;* Phil. VII, 14 repetenda *vetus* illa severitas; Verr. V §. 46 valeret hoc crimen in illa *vetere* severitate; Cluent. §. 129 tu es magister *veteris* disciplinae ac severitatis; Verr. II §. 7 disciplina illa *vetus;* Caec. §. 28 exemplar *antiquae* religionis; Verr. III §. 217 hominem *vetere* illa ac *singulari* innocentia praeditum. Inter scriptores sequentium aetatum inprimis Tacitus bonam verbi *antiquus* vim retinuit cf. ann. XVI, 5 *antiqui* moris; hist. I, 14; II, 64; dial. 28; *antiqua* parsimonia ann. III, 52; XII, 53; *antiquo* cultu victuque ib. III, 53 et pluribus locis; sed Eutropius scripsit X, 10 virum *probum* et morum *veterum;* Amm. Marc. XXI, 8, 1 proditor *antiquus* (Cic. Verr. V, §. 152 *vetus* proditor *).

---

*) Apud comicos *vetus* et *antiquus* saepe una ponuntur, ut Pl. Trin. 381 historiam veterem atque antiquam cf. Most. II, 2, 45; Ba. IV, 4, 60; Mil. III, 1, 156; Poen. V. 2, 18. Ciceronis aetate formula *priscus et vetus* proverbialis erat, ut ex Tim. fragm. apparet: credendum est veteribus et priscis *ut aiunt* viris cf. dom. 122. Scriptores argentea Latinitatis item una ponunt vocabula antiquus et vetus, ut Dial. de or. c. 15 vetera et antiqua; c. 16. 17. Plin. Pan. c. 11. 12.

b. Adjectivum *unicus* significatione usum = singularis, insignis, legimus p. Quinct. §. 41 *unica* liberalitas (nos: einzig in seiner Art), cf. Cornif. ad Her. III §. 11 unica malitia, ib. §. 37 unica turpitudo; Turpil. ap. Non. 491, 2 homo unica est natura ac singularia. Quam vim vocabuli „unicus“ inprimis Livius coluit cf. unica concordia 3, 33, 8; vir unicus in omni fortuna 7, 1, 9; ib. 12, 3 u. dux; 23, 11, 10 u. imperator; cf. Pl. Asin. IV, 1, 3 tu poëta es prorsus ad eam rem unicus. Inde etiam adverbium *unice* ad cumulandam et *adiectivorum* vim usurpatur cf. Pl. Ba. 407 *unice* unicus; Asin. 205 u. unus; Stich. 11. unus u. probus; Hor. carm. I, 26, 5 u. securus; Lampr. Sev. 26, 9 u. pius; et *verborum* cf. Cic. de rep. I §. 16, II §. 1; ep. fam. VI, 12, 2 unice diligere.

III. Adverbia.

a. adv. *repentino:* uno loco ap. Ciceronem invenitur *) p. Qu. §. 14; praeterea ap. Pl. Pseud. 36; Afran. 82. 398; Apul. de mund. 16; flor. 3, 16.

b. adv. *ingratiis* legimus tantum p. Qu. §. 47 et p. Tull. §. 5; apud Plautum octo, ap. Terentium tribus locis cf. Neue Formenlehre II², p. 672; Corn. Nep. semel usurpat: Them. IV, 4.

c. Ex iure consultorum sermone ab hominibus plebeis receptum est adv. *perperam,* quod raro et in certis tantum formulis nobis occurrit, ut in edicto praetoris: Verr. II §. 33 si qui *p. iudicasset,* cf. §. 34; II 57; Caec. §. 71. Similiter *p. facere* Cicero uno loco dicit p. Quinct. §. 31 seu recte seu p. facere; praeterea legimus ap. Cornif. II §. 5; 44; 48; Varr. r. r. I, 69, 2 p. fecisse; Petron. 75 si quid p. feci. *Perperam* adverbio *recte* oppositum invenimus praeter locum p. Q. §. 31 etiam Caec. §. 69; Sall. Jug. 31, 27 p. quam recte fecisse; Liv. 1, 23, 8, 33, 8; 40, 14, 9. Extra has formulas Cicero uno loco dicit „res p. constitutae“ de inv. I §. 102; cf. Pl. Most. 964; Mil. 392; 435 etc.; Ter. Phorm. 744; b. Hisp. c. 12.

d. p. R. A. §. 31 *libenter,* audacter, libereque dicere.

Pro adv. libenter, quod libri scripti praebent, alii alia statuere volunt, ut: fidenter, diligenter, quia hoc loco libenter inusitatam vim vocabuli *licenter* habeat (= nach freiem Belieben, un-

*) Charis. II, 14, 200: *repentino* pro repente Cicero, ut Statilius Maximus notat scil. in libello de *singularibus* apud Cic. quoque positis adverbiis

genirt). Sed mea quidem sententia in hac priori Ciceronis oratione *libenter* aeque retinendum est, quam in Hor. sat. I, 3, 63: qualem me saepe *libenter* obtulerim tibi Maecenas. Ceterum haec vis vocabuli l. ex usu cotidiano esse mihi videtur, ut etiam Pl. Asin. 562 dicit: *libenter periurare,* quo loco l. significat licenter sive potius impudenter.

e. Denique disserendum est de comparativo *ocius,* quae item antiqua vox atque sermoni poëtarum inprimisque comicorum propria est. Jam pervulgatum illud *serius ocius* ap. Hor. carm. II, 3, 26 proverbii locum mihi obtinere videtur, quo etiam omissa copula spectat. Similiter Cicero de inv. I, 26, 39 quid *ocius* et quid *serius* futurum est et Tuscul. IV, 14, 32 tardius — ocius. Praeter hos locos *ocius* apud Ciceronem tantum legimus de rep. VI, 26, 29 ocius facere,*) deinde in illa Aratei carminis conversione, quam adulescentulus fecit v. 65, denique in orat. p. Qu. §. 43 ocius pervenire. Ceteris locis legimus „citius" (in orationibus 14 ies cf. Merguet) ut p. Sest. §. 70 per alios citius quam per se tardius. Nec Cato et Varro hoc vocabulo utuntur, nec Caesar et Corn. Nepos, sed citius aut celerius.

Quod primum invenimus apud Livium Andron. in Aiace: multo ocius et ap. Pompon. 92 o. facere cf. Pl. Asin. 275 nunquam o.; Ter. Eun. 470; 690 etc. Sed multo saepius legimus hoc adverbium apud eosdem *detracta omni comparativi vi* **) in adhortationibus *ad imperativum* positum, quemadmodum Graeci utuntur θᾶσσον, veluti iam Hom. Od. VII, 152; XX, 154; Aristophan. Nub. 1253; Soph. Oed. Col. 824 (cf. Nauck. ad h. l.), ut poëtae Latini, quod in Graecorum fabulis invenerunt vocabulum θᾶσσον, id mihi transtulisse videantur vocabulo

*) Cicero in libro „de republica" sermoni suo vetustatis quendam colorem inicere mihi videtur: nam praeter hanc vocem *ocius* invenimus in hoc tantum libro adv. *cotidiano* VI, 2, 2 (cf. Afran. 369 R.; Pl. Capt. 722); ibid. *desubito* (cf. Pl. Capt. 60; St. 719; Bacch. 79; Most. 411; Ter. Haut. 673 et quae exempla Non. p. 517 affert ex tragicis poëtis; Claud. Quadrig. l. II); substantiva *anxitudo* (pro anxietas) II, 41, 68 (cf. Pac. 164; Att. 154, 349); *sanctitudo* IV, 8, 8 (cf. Att. 646. 593. Turp. 114; Afran. 326); alia.

**) Cuius rei summum testimonium est illud, quod poëtae comparativum ocius sine ullo significationis discrimine iuxta positivum synonymum ponunt, ut Pl. Cist. III, 8 propere ocius cf. Cas. III, 6, 17 propere cito; Rud. V, 2, 36 propere celeriter.

ocius; paucos locos proferre liceat: Pl. Pseud. 758 abite ocius; Curc. 276; Most. 679; etiam Hor. sat. II, 7, 34; 117 et Petron. sat. 79 res tuas ocius tolle; ib. c. 94 ocius foras exi (cf. Ter. Eun. 470 heus iubete istos foras exire ocius); ib. c. 105 attrahite o. nocentes; apud Curtium uno loco idque in oratione quadam legimus X, 2, 29: *facessite hinc ocius,* quae formula prorsus plebeia est cf. Pl. Rud. 1062; Ter. Phorm. 635; Pacuv. 326 facessite hinc etc. (= sich fort*machen*). Augusteae aetatis poëtae etiam apud *indicativum* hoc modo adverbio *ocius* utuntur, ut Ovid. Met. XII, 226 o. surgimus; I, 242; Hor. carm. II, 11, 18 quis puer ocius restinguet ardentis Falerni pocula? (quae formula proxime accedit ad modum imperativum); Vergil. Aen. IV, 294; VIII, 101; 555; XII, 556, 601.

Denique hoc loco commemoremus, quae notat Servius ad Aen. IV, 294 de hoc vocabulo; „*ocius:* velocius, et nota quod habeat adverbium et nomen illius non facile reperiatur“ et ad VIII, 555 „*positivus* antiquus est i. e. celeriter; nec enim potest esse comparativus ubi nulla est comparatio“ *).

IV. Verba.

a. De verbis *frequentativis* in his orationibus positis Woelfflinus iam l. l. disseruit; sunt: *fugito* p. R. A. §. 78 cf. Pl. Asin. 485; Ter. Eun. 847; Lucret. I, 658; IV, 322, 1055, 1168 etc.;

---

*) Ex his Servii verbis apparet vocem *ocius* illius viri aetate non iam usitatam fuisse. Quare si quo loco apud scriptorem illius aetatis invenitur, in suspicionem vocari debet; veluti in nostris Ammiani Marcell. editionibus pluribus locis nunc legimus *ocius,* quibus codices aliam scripturam praebent, ut 22, 7, 10 scripsit Gardthausen: solito *ocius,* codices habent solito *eius,* nos statuimus solito *citius,* Gelenius solicite. Alio loco Gelenius ocius in textum recepit 25, 1, 5 hoc ocius intellecto; etiam hoc loco scribendum est citius, ut 31, 12, 2 equitum turma *citius* missa cf. 18, 6, 4; 26, 8, 6; 29, 5, 4. Apud eundem 25, 1, 3 ex codicis Vaticani scriptura *totius* coniecit Gelenius *ocius,* sed legendum est *tutius* ut ib. 24, 8, 7, ubi idem Vaticanus praebet *totius,* Gelenius recte *tutius* scripsit, Eyssenhardtius falso *ocius.* Sed aliis locis, quibus ex criticis notis Gardth., quae mihi in hac re investiganda tantum praesto erant, nulla scripturae varietas exstat, equidem hoc modo emendare non audeo. Constat enim Ammianum, ut erat nimius antiquioris sermonis affectator, haud pauca vocabula aetate sua non iam usitata in sermonem suum ascivisse, ut *oppido* pauci 16, 7, 5; 14, 6, 1, quod adverbium iam Quintiliani aetate priscum et obsoletum habebatur cf. Quintil. 8, 3, 25.

latito p. Qu. §. 54. 60. 75. 84. 85. 86 cf. Pl. Trin. 927; Lucret. I, 875. 890; auct. b. Afr. 91, 1; *reclamito* p. R. A. §. 13 ἅπ. εἰρημ. est.

b. de verbis *transfugere* et *devolare* iam supra p. 17 dictum est.

c. verbum *incommodare* = nocere (cum Dativo coniunctum) raro invenitur, ap. Ter. Andr. 162; Cic. p. Qu. §. 51; ep Q. fr. I, 2, 10 codices partim incommodaturum partim incommodum laturum praebent; fin. V, 19, 50 sine obiecto positum est. Atque p. Qu. §. 51 Cicero raram vocem *incommodare* consulto videtur sumpsisse, ut elegantiorem sermonem redderet; locus est enim hic: ut, quum ipsi nihil alteri scientes *incommodarint,* nihil ipsis iure *incommodi* cadere possit.

d. Prisco sermoni proprium est verbum *imbibere* = ἐμπίπτειν (in animum inducere), quod cum infinitivo coniunctum tantum in prima Ciceronis oratione invenitur: p. Qu. §. 27; praeterea ap. Lucret. III, 995 petere fasces imbibit; VI, 72 petere poenas imbibat. Cic. Verr. acc. pr. §. 42 cum accusativo obiecti coniunctum est: malam opinionem animo imbibere; pariter ap. Liv. II, 47 quod initio consulatus imbiberat.

e. Verbum *ludificare,* quo Cicero uno loco p. Qu. §. 54 utitur, Priscianus VIII, 5, 25 in *vetustissimis* numerat. Legimus persaepe ap. Plautum, qui et *ludos facere* aliquem (alicui) dicit (cf. Brix. ad Capt. 576) et *ludificare* (cf. Men. III, 2, 56; Amph. 585; 1047 etc.) et deponens *ludificari* (cf. Most. 1065 etc.) et *ludificatui habere* alquem Poen. V, 5, 2. Deponens *ludificari* etiam Cicero p. R. A. §. 55 usurpat: ludificari et calumniari.

f. Homines plebei, ut sententiis suis vim quandam addant, vehementiora et validiora vocabula adamant; ex quo numero est ap. Cic. in or. p. R. A. §. 33: qui tantum potuit, ut omnes cives occisus *perdiderit*" vox *perdere.* Hanc inprimis apud comicos legimus, ut Pl. Amph. II, 2, 187 perdidisti sc. me; Pseud. 1320; Bacch. III, 3, 85; III, 6, 38 etc.; Ter. Andr. 803 nos quidem pol miseras perdidit (nos dicimus: das war ein harter Schlag für uns). Graeci eodem modo dicunt: ἀπώλεσεν, ut Soph. El. 1163 φίλταθ' ὥς μ'ἀπώλεσας et ibid. 808 'Ορέστα φίλταθ' ὥς μ'απώλεσας θανών (ut ap. Cic. occisus perdidit); ib. Phil. 1172 τί μ'ὤλεσας et ap. Euripidem Admetus de mortua uxore dicit Alc. 1002 ἀπώλεσεν με κἄτι μᾶλλον ἢ λέγω. Verisimile est poëtas Latinos Graecum verbum ἀπώλεσεν voce *perdidit* conver-

tisse. Ceterum etiam oratores Graeci hanc vehementiorem locutionem receperunt cf. Dem. Phil. III, 39 ὑφ' ὧν ἀπώλωλε καὶ νενόσηκεν ἡ Ἑλλάς.

g. p. R. A. §. 132 in Bruttiis *habere:*

verbum *habere* hoc loco vim *habitandi* prae se ferre videtur ut apud comicos: hic habet = habitat, Pl. Trin. 193, 390, saepius; cf. Varr. L. L. IV p. 16 Bip. ubi aedituus habere solet.

h. Denique verbo *auscultare (écouter* Francogallorum), quod nullo loco apud elegantiores scriptores legimus, Cicero in orat. p. R. A. usus est §. 104 *mihi ausculta,* ut poëtae comici, Pl. Most. 570. 619; Pers. 574; Aul. II, 2, 60; Pseud. 991 cf. Lorenz ad Pseud. v. 407 et Non. 246, 10; Hor. sat. II, 7, 1 *).

Atque confecta altera parte dissertationis hoc addere mihi videtur eiusmodi vestigia sermonis familiaris et cotidiani dissipata inveniri cum in posterioribus orationibus tum in *Philippicis,,* ubi Cicero summo animi ardore et ira inflammatus vulgaria quaedam admiserit; quo ex numero sunt:

a. *actutum* = statim, quod adverbium in sermone rustico summe frequentatum est, ut Pl. Most. 17. 70. 238. 286. 372 etc.

---

*) Vocabula quaedam et elocutiones restant, quibus et Ciceronis aetate qui scripserunt aut nullo loco aut perraro usi sunt et Cicero ipse nisi in orationibus suis primae aetatis, sed inveniuntur apud posteriores scriptores, velut

1. p. Qu. §. 34 *tempus* dicendo *absumere:* absumere Cicero in hac formula hoc uno loco posuit, aliis locis *consumere* cf. Verr. II §. 96 qui dicendo tempus consumerent; a Livio rursus usurpatur, ut 2, 4, 3 tempus consultando abs.; 27, 13; 45, 37; Plin. ep. I, 9.

2. Pariter vocem *adesus* translata vi praeditam = consumptus legimus tantum in or. p. Qu. §. 40 adesa pecunia, cf. Tacit. ann. 13, 21; hist. 1, 4 adesa bona; Non. 70, 32 ex Sis. hist. lib. III affert locum: isdem temporibus frumento adeso.

3. Tum p. Q. §. 43 et p. R. Am. 113 *inter vivos numerare;* „numerare inter" praeter hos locos tantum p. Font. §. 28 dicit, aliis locis „numerare in c. Abl." ut Brut. 45; „numerare inter" structura est scriptorum inprimis argenteae Latinitatis cf. Krebs. Antibarb. s. v. numerare.

4. Similiter verbum *praeferre* = prae se ferre legimus uno loco ap. Cic. p. R. A. §. 87 avaritiam praef. et ap. Plancum in ep. fam. 10, 8, 4 sensus aperte praef.; saepius apud posteriores, ut Quintil. X, 1, 113 nobilitatem p.; Tacit. Agr. 11 ferociam p.; ann. 16, 22 libertatem p.; 13, 45 modestiam p.; 15, 16 speciem armorum p. etc.; Curt. VII, 2, 24 laetitiae speciem p.; VI, 9, 1 dolorem p.; VIII, 6, 16.

in sermone urbano autem tantum ap. Verg. Aen. IX, 255; Ov. Met. II, 557; Liv. XXIX, 14, 5; *Cicero* Phil. XII, 11, 26 et in fragm. orat. p. Cornelio; in ep. ad Att. I, 12, 1 et XV, 5, 2 codices partim actutum partim acturum praebent.

b. Deinde vulgarem formulam comicorum „*verba dare*“ = fallere Cicero tribus locis admisit, quorum unus est in libro de inv. II §. 28, alter in orationibus Phil. XIII, 33, tertius in epistulis Att. XV, 16 a; etiam Corn. Nep. semel Hann. V; praeterea apud Pl. Aul. I, 1, 23 etc.; Ter. Phorm. 713; Haut. 914 etc.; Lucil. 1024 b L.; Hor. sat. I, 3, 22.

c) Phil. II §. 21 scalas tabernae librariae *oppilare*.

Oppilare (= verschliessen) rarum magisque plebeium verbum est cf. Cat. r. r. 100; Varr. L. L. V, 31; Lucr. VI, 725; 1 Macc. 2, 36 nec oppilaverunt loca occulta v. Roensch Itala u. Vulgata p. 195.

d. Pariter uno loco in Phil. XIV, 2, 5 Cicero utitur formula prisca *inibi est* = in eo est: aut *inibi esse* aut iam esse confectum cf. Pacuv. 205 R. profecto aut inibi est aut iam potiuntur Frugum; Caecil. 189 liberne es? Non sum, verum inibi est. Extra hanc formulam adv. inibi = hic Cicero usurpat leg. agr. I, 20; praeterea Plautus, Cato, Varro, b. Afr. 23, Vitruv (semel) X, 19, 7.

e. Denique creberrimam illam apud comicos compositionem pronominum „suus sibi“ (cf. Holtze synt. prisc. script. Lat. I, 351. 369) Cicero uno loco imitatus est in orationibus, Phil. II, 37, 96 priusquam tu *suum sibi* venderes ipse possedit unoque loco in ep. ad Att. VII, 11, 1 *sibi* habeat *suam* fortunam. Quae est formula contemnentis, quod alter habet aut habere se putat, velut Pl. Curc. 175 *sibi sua habeant* regna reges, sibi honores, sibi virtutes etc. Aliis locis, quibus Cicero illud Plauti ante oculos habuisse mihi videtur, omisit pronomen „suus“ idque manifesto hoc consilio, ut plebeium quendam colorem evitaret velut p. Flacc. §. 104: sibi habeant potentiam, sibi honores etc.; p. Sull. §. 26 sibi haberent honores, sibi imperia, sibi provincias etc.; cf. Cat. M. §. 58 habeant sibi arma, sibi equos, sibi hastas etc.; Lael. §. 18 quare sibi habeant sapientiae nomen. Sed haec hactenus.

Pars III.

In hac dissertationis parte nobis proprietates quaedam sermonis tractandae sunt, quae pertinent et ad **verborum formationem** et ad **syntaxin.**

Ac primum quidem quod attinet ad *verborum formationem,* legimus in or. p. R. Am. §. 131 *pernicii* causa auctoribus Gellio IX, 14, 19 et Nonio 486, 28; (locum similem addunt ex Sisenn. Hist. lib. VI: pernicii causa), quamquam Charisius (I, 15) legit *pernicies* et codices praebent *pernicie.* Sed Gellio maior fides habenda est, quippe qui propius accedat ad Ciceronis aetatem cf. Bücheler Grundriss der lat. Declinat. p. 34.

Qua ex re colligere licet etiam aliis locis Ciceronem vetustiores formas usurpasse, quibus in nostris editionibus ex codicum fide recentiores inveniantur. Quo magis crederes antiquiores formas retinendas esse iis locis, quibus codices praebent ut

p. R. Am. §. 145: si *metuis* (sc. causa vis hominem occidere),ab eone aliquid metuis? — Quo loco Madvigius recentiorem formam *metus* restituit, id quod probaverunt cum alii tum Bergk., qui in Philolog. vol. 28 p. 462 de hoc loco haec dicit: Cicero ist, wenn er auch namentlich in seinen aelteren Reden manches Volksmaessige noch beibehalten hat, was er spaeter fallen laesst, niemals ein so fanatischer Liebhaber der Archaismen gewesen, dass er dieser Leidenschaft die Deutlichkeit der Rede, die ihm überall das erste und wichtigste ist, geopfert haette. Huc accedit, quod hoc loco librarius facillime ex sequentis verbi forma „*metuis*“ inductus etiam pro substantivi forma *metus* verbi formam metuis scribendum esse sibi videri poterat.

Idem Bergkius Fleckeiseno repugnavit, qui (Krit. Misc. p. 44) in orat. p. R. A. §. 65 et §. 70 verbi formam „*potuisset*“ mutandam putavit esse in priscam „*potisset*“ = posset secutus Ernestium, qui utroque loco coniunctivum plusquamperf. contra leges grammaticae positum esse existimans pro „potuisset“ scripserat „posset“. Fleckeisenus ipse sententiam suam de hac re interim mutavisse videtur; nam in editione orationis p. R. A., quam Richtero mortuo curavit 1877, §. 65 scripsit *posset*, §. 70 *potuisset*. Atque ad defendendam scripturam „potuisset“ in §. 65: nemo enim putabat quemquam esse, qui cum omnia divina atque humana iura . . . *polluisset*, somnum statim capere *potuisset* Bergkius recte adnotat antecedens plusquamperfectum „*polluisset*“ oratorem commovisse etiam pro „*posset*“ dicere „*potuisset*“; quin equidem puto Ciceronem consulto hoc loco adnominationem adhibuisse: *polluisset* — *potuisset*, qua vehementius negaret ullo modo fieri posse illud, de quo loquitur.

Tum reperimus in or. p. R. A. §. 107 formam pronominis interrogativi „*numquisnam* praeterea? nemo est“, quae formula sermonis familiaris est (cf. supra p. 23). Cicero etiam aliis locis, quibus sermonem familiarem imitatus est, hanc formam usurpavit, inprimis in illa salutantium formula: *numquidnam* novi? de Or. II, 3, 13; ep. fam. XI, 27, 1 cf. Brut. 3, 10 numquid tandem novi?

Denique commemoramus formulam *abs* te in prioribus orationibus saepius inveniri quam *a te*, id quod Woelfflinus vidit l. l. p. 144. Omnes locos enumerare supervacaneum est, quos iam plenissime collegit Merguet in lexico s. v. a et abs.

Jam venimus ad ***syntaxis*** proprietates.

Auctor dialogi de orat. c. 22 in iudicando Cicerone ut primum orationis excultorem nominat eumque primum et verbis adhibuisse delectum et compositioni artem, ita priores orationes non carere vitiis antiquitatis dicit; atque in iis demum orationibus, pergit, „quas iam senior et iuxta finem vitae composuit, id est postquam magis profecerat *usuque et experimentis* didicerit, quod optimum dicendi genus esset invenit.“ Atque eiusmodi experimenta in arte scribendi, quae iam in tractatione copiae verborum cognovimus, eadem in syntaxi nobis occurrunt. Nam adulescentulus Cicero, qui tum sermonem nondum plane ad ipsum iudicium revocaverat et accommodaverat, in adhibendis syntaxis

legibus alienam rationem secutus est, unde accidit, ut in his duabus orationibus quaedam inveniamus, quae a posterioribus abhorrent. Sed ipsam rem aggrediamur.

1. Licentiae cuidam atque impunitati dicendi, quam ipse Cicero in prioribus suis orationibus reprehendit, tribuendum est

p. R. A. §. 6: hunc sibi ex animo scrupulum, qui *se* dies noctesque *stimulat* ac *pungit,* ut evellatis postulat: quo loco leges grammaticae poscunt aut *eum* pungit aut *se pungat.* Quae licentia sine dubio nata est ex sermone plebeio nec invenitur apud Ciceronem nisi in libris primae aetatis, ut recte adnotat Halmius; cf. de inv. I §. 55.

2. De *adverbiis.*

a) Adverbia quaedam *ad cumulandam adiectivorum notionem* pro superlativo cum adiectivis coniuncta reperimus apud omnes omnium aetatum Latinitatis scriptores maximeque apud poëtas comicos sermonem vulgarem imitantes. Quorum alia etiam in sermonem urbanum recepta sunt ut valde, vehementer, bene (bien Francogallorum), admodum etc, alia inprimis vel prorsus sermoni cotidiano propria sunt; veluti adv. *„insignite",* quod Cicero duobus tantum locis hoc modo admisit, quorum unum legimus p. Qu. §. 73 insignite improbus, alterum Phil. III, 10 insignite impudens, quo tamen loco codices partim insignite partim insigniter praebent. Praeterea reperimus apud Plaut. Rud. 1097 i. inique; Cas. V, 4, 38 insignite magna iniuria.

Ceterum hoc loco moneamus eiusmodi adverbia suam quodque ut ita dicam provinciam habere, cum alia tantum ad eorum adiectivorum gradationem adhibeantur, quae bona, alia quae mala utuntur notione; veluti adverbium *insignite* coniunctum videmus cum „improbus, impudens, inique, magna *iniuria".* Quae coniunctio adverbii insig. cum substantivo *„iniuria"* frequentata est a Plauto cf. Mil. 560 tam insignite iniuria; Rud. 643; Poen. III, 6, 14; Men. V, 7, 21; similiter Cato ap. Gell. X, 3, 17 insignitae iniuriae et Cicero p. Qu. §. 28 insignis iniuria; p. Caecin. §. 36 tam insigni accepta iniuria (nos dicimus: schreiendes Unrecht), cf. fam. IV, 13, 2; V, 2, 8. Contra adv. *adprime* legimus tantum adiectivis bonae notionis praemissum, ut Pl. Trin. 373 adpr. probus cf. Rud. III, 4, 30 et Corn. Nep. Att. 13, 3 adpr. bonus. Sed a scriptoribus argenteae ut dicitur Latinitatis non iam

observabantur hae leges, velut Plautus dicit Epid. IV, 1, 39 impense *improbus*, Macrob. Sat. I, 4, 24 imp. *doctus.*

Adverbium *satis* partim ad augendam, partim ad diminuendam (= ziemlich, leidlich) adiectivi vim usurpatur pariterque forma breviata *sat,* qua comici saepius utuntur, Cicero raro atque ut equidem vidi tantum cum adiectivo *bonus* coniuncta. Quam formulam in orationibus semel legimus p. R. A. §. 89 *sat bonus* accusator; de Or. III, §. 84 *sat bonus* orator; fam. VII, 24, 2 *sat bonus* unctor; ad Attic. XIV, 10, 1 laetantibus omnibus bonis, etiam *sat bonis;* cf. Cat. r. r. 136; Pl. Vidul. *sat bonus* operarius, Studem. comment. de Vid. p. 14. Richterus bene adnotat ad orat. p. R. A. §. 89 „*sat* seltener als satis, mit schwaechendem Sinne wie das franz. assez. So steigen de Or. III §. 84 oratorem, sat bonum, bonum denique, und stufen sich ab de off. II §. 89 bene pascere, satis bene pascere, male pascere.“

Duobus quoque adverbiis interdum gradatio adiectivi fit, ut p. Qu. §. 12: erat ei pecuaria res ampla et rustica *sane bene* culta et fructuosa, cf. Ter. Andr. 848, Ad. 586; in epistulis similiter dicit fam. X, 32, 1 *plane bene* peculiatus (nos: gar sehr), et in Tuscul. II, 19, 44 *bene plane* magnus; cum verbo coniuncta Acad. I, 7, 25 bene sane facis.

b. Pauca hoc loco nobis disserenda videntur de usu quodam, qui ex sermone cotidiano profectus et a Cicerone in sermonem suum receptus est. Apud comicos enim saepissime invenimus formulam „*sic est hic*“ (= das ist so seine Art) cf. Ter. Andr. 919, quibus locis adverb. sic pro pronominibus hic, is, talis positum est. Donatus quidem adnotat ad locum illum Terentianum Terentium hoc modo Graecum Menandri οὕτως αὐτός ἐστιν in Latinum convertisse. Quod dicendi genus non solum poëtae, ut Tibull. I, 10, 44 sic ego sim, sed etiam solutae orationis scriptores secuti sunt, ut Cic. p. Sull. 22 si ita sum. Ex formula „sic est hic“ nata est altera: „sic *homost*“ (Ter. Phorm. 527); itast *homo* (Ad. 143). Tum hic usus a certis personis translatus est ad *res,* ut Cic. Attic. IV, 1, 8 *ita sunt res* nostrae; ib. VI, 1, 11: *ita res est;* Ter. Ad. IV, 7, 21 *ita vita est hominis* — Cic. p. R. A. §. 84 *sic vita hominum est;* Pl. Pers. IV, 6, 25 ita sunt Persarum mores — Cic. Rabir. 35 non ita mos est; Lucret. III, 307 sic hominum genus est — Cic. p. R. C. 29 sic est vulgus; cf. Ter. Pr. 70; Pl. St. 625. 744. — Contra Cicero legitima

formula usus dicit Vatin. §. 19 est enim res *eius modi;* Lael. §. 52 *haec* est tyrannorum vita; fam. VI, 5, 2 *ea* natura rerum est cf. Liv. 24, 25, 8 *ea* natura multitudinis est; 9, 3, 12 *ea* est Romana gens. — Denique Cicero verba *dici, haberi, existimari* similia pariter coniunxit cum adverbiis ita, sic: de Or. III §. 84 *ita* (= talem) me existimari scio; Brut. §. 57 eloquentem fuisse et *ita* habitum! p. Arch. §. 31 qui sancti sunt habiti *itaque* dicti cf. Verr. II §. 87; contra p. R. A. §. 119: qui ita vixerunt *talesque* — putantur.

c. Similiter ex sermone familiari profectus est contrarius usus pronominis „*nullus*" pro adverbio „*non*", de quo iam cum alii disseruerunt tum subtilissime Hauptius in Quaest. Catull. p. 5 sqq.; nonnulla affert Naegelsbachius in libro de arte Latine scribendi [6] p. 236. Notum est illud comicorum: nullus sum = perii cf. οὐδέν εἰμι Aristoph. Equ. 1243; Soph. El. 677. — Cicero hunc usum secutus est praecipue in epistulis ad Atticum (cf. XI, 24, 4 nullus venit; XIV, 3, 1 etc.); ex locis in orationibus profero p. R. A. §. 128 haec bona in tabulas *nulla* redierunt.

3. In sermone prisco et plebeio multas formulas invenimus, in quibus casus *Genetivus pendet ex pronomine quodam,* quod multitudinis notionem amplectitur, ut apud Ennium „ecquid erit praemi"; ap. Plaut. Aul. IV, 10, 72 quid huius rei sit (cf. Draeger synt. I p. 413) etc. Quarum certae quaedam in sermonem urbanum ascitae sunt, velut „quid est negotii" ap. Cic. p. Flacc. §. 8; Tuscul. I, 6; „nihil est negotii" fin. II, 17; fam. I, 2, 2; p. Mil. §. 17 cf. Pl. Aul. 194. Rarior exstat formula: „*hoc signi est*" Ter. Eun. IV, 1, 15, qua Cicero usus est p. R. A. §. 83 *id erit signi* (Halmius notat: der Genetiv durch eine Art Attraction von id abhaengig, wiewohl signum Praedicat ist); contra in ep. ad Att. IV, 16, 1 dicit: hoc *signum* erit; cf. Cato r. r. 38 hoc signi erit; Cornif. IV, 8 nunc hoc signi est; Pl. Amph. 421 signi dic quid est? Vid. fragm. signi dicam quid siet. (ap. Prisc. V, 37).

4. de *praepositionibus ad et apud.*

Hunc usum breviter attingere licet, quippe quem iam Wölfflinus l. l. p. 143 aliique latius tractaverint. In quibusdam enim locutionibus sermo familiaris praepositionibus *ad, apud* utitur pro in c. Abl., velut *ad, apud forum* legimus saepissime apud comicos, cf. Brix ad Mil. 930. Cicero in prioribus tantum orationibus hunc usum amplexus est; p. *R. A. §. 44,* Tull. §. 20 ad

villam; Verr. IV, 48 apud villam cf. Ter. Ad. 519; Petron. 61 ad villam; Apul. mag. 87 apud villam nupsisse. — In posterioribus orationibus Cicero dicit *in villa* cf. Pis. 89; Mil. 51; Phil. I, 8; II, 42. 104 *).

5. *utrum . . . ne — an*

p. Qu. §. 92 optimi codices praebent: ea res in discrimine versatur, *utrum* possit*ne* se defendere, *an* . . . Hic usus sermoni plebeio inprimis tribuendus est ut Plaut. Capt. 265 utrum strictimne attonsurum dicam an cf. Brix ad h. l.

6. *Circumscriptio imperativi* iussivo *facito* coniunctione *ut* aut apposita aut omissa referenda est ad sermonem priscum cf. exempla ex Plauto, Terentio, Catone apud Holtze II p. 135. Cicero hanc circumscriptionem usurpavit in orat. p. R. A. §. 74 tibi in mentem veniat *facito* et in ep. ad Att. II, 4, 4 *facito* ut sciam, (quem locum Draegerus §. 153, 5 omisit); contra fam. VII, 16, 3 *fac* plane sciam; cf. Verg. Aen. XII, 438 facito sis memor.

Similiter vetustiores scriptores usurpaverunt *nolito* pro noli et *nolitote* pro nolite, cf. Non. p. 481 et 505, ubi locos affert ex Lucil. l. XXX nolito putare et ex Sisenn. Hist. l. III: nolitote mirari.

Aliae circumscriptiones imperativi apud poëtas sunt: *parce* cf. Pl. Pers. II, 5, 11 pressare parce; *fuge* cf. Hor. carm. I, 9, 13 fuge quaerere; *omitte* cf. Pl. Pers. 642 rogare omitte, Ter. Eun. 989 omitte dicere; *remitte* cf. Ter. Andr. 827 remittas onerare, Hor. carm. II, 11, 3 remittas quaerere; *mitte* cf. Pl. Pers. 207 mitte male loqui, Ter. Andr. 873 m. male loqui, ib. 904 mitte orare; Lucret. VI, 1054 mirari m., Hor. carm. I, 38, 3 mitte sectari, epod. 13, 7 cetera m. loqui (Val. Max. VII, 2 m. deflere). Eadem verba poëtae extra hanc circumscribendi rationem cum infinitivo coniungebant cf. Pl. Epid. III, 4, 28 quid *parcam* proloqui; Aul. IV, 4, 24 scrutari *mitto,* Ter. Haut. 900 mitto osculari, Eun. 528 misi orare; Lucret. IV, 688 mitto dicere. Quem usum scriptores quoque orationis solutae asciverunt, sed paucis locis, velut Cicero tantum in prioribus orationibus p. Qu. §. 85 *mitto illud dicere;* p. R. A. §. 53 *mitto quaerere;* p. Sull. §. 22 *mitto*

*) Nonius de hoc usu dicit 522, 22: error consuetudinis apud pro in utitur. Itaque vitiose dicimus, cum nos *in* foro fuisse dicamus, *apud* aut *ad* forum fuisse, cum apud *iuxta* significet.

quaerere; at de rep. I §. 47 *omitto* de te dicere; Quintil. V, 10, 18 hoc exsequi mitto; Apul. Flor. III, 17, 80 mitto dicere; cf. Sall. Iug. 52, 5 neque *remittit* explorare. — Hanc rem propterea hoc loco copiosius tractavi, quia Draegerus §. 414, 7 a perpauca exempla collegit.

7 a. In orat. p. Qu. §. 55 licentiam quandam dicendi reperimus, qua Cicero praeter hunc locum tantum in epistulis usus est. Dicit enim *per ellipsin* vocis „proverbium" *vetus est,* ut fam. VII, 3, 4; Att. VII, 2, 8 vetus illud sc. dictum; Pl. Asin. 203 *vetus est;* sed Ter. Ad. V, 1, 17 vetus verbum est.

b. Contra in formula quadam, quae in sermone urbano per ellipsin usurpari solet *„nisi me fallit* scil. animus" Cicero uno loco pleniorem exhibuit, p. R. A. §. 48 *nisi me fallit animus;* aliis locis *„nisi me fallit"* cf. p. Sest. §. 45. 106; Attic. XIV, 12, 2; fam. IV, 2, 3; XII, 5. Pleniorem formulam invenimus praeterea apud Pl. Men. V, 9, 22 nisi me animus f.; Ter. Haut. 614. 668; Phorm. 735; Lucretius tribus locis dicit: nec me *animi* fallit I, 136. 922. V, 97 B; denique Sall. Cat. 20 fin. nisi forte me animus fallit. Ac Sallustium hac formula usum esse non est mirum, si reputamus magna eum priscorum verborum affectatione fuisse ob eamque rem ab antiquis Catonis furem nominatum esse. Hoc loco igitur memorabile illud nobis occurrit sermonem Ciceronis et Sallustii, qui ceteris in rebus tam valde discrepat, in hac formula consentire, id quod ex natura prioris Ciceronianae elocutionis repetendum est.

8. De *coordinatione* sive *parataxi.*

Sermonis vulgaris et familiaris proprium est singula enuntiata simplicia similibus adiungere deficientibus omnibus fere coniunctionibus, quibus singulae enuntiati partes inter se subiunguntur. Quod etiam apud poëtas comicos reperimus, inprimis in verbis: facio, credo, scio, cogito, spero, censeo, dico, video aliis cf. Holtze II, 227; velut ap. Pl. Merc. 207 credo non credet pater. Cuius rei pauca exempla etiam apud Ciceronem invenimus in prioribus orationibus et in epistulis:

p. Q. §. 55 *memini: vetus est;* Verr. I §. 58 *memini: vidi.* Haec parataxis minus mirabilis est, si ad verba finita accedunt vocabula: sic, hoc, illud, similia ut

p. Q. §. 39 *ita credo:* hominem propinquum — *nolebas* aut non *audebas* appellare; ib. §. 70 *unum illud dico* etc.

p. R. A. §. 139 *unum hoc dico* nostri isti nobiles . . . ornamenta sua concedant *necesse est;* ad Attic. III, 9, 2 *tantum dico:* nos invidi *perdiderunt;* ib. XV, 2, 2 *tantum video:* non *videmur* esse victuri; sed Verr. I, §. 34 *unum hoc dico* . . . statuere *te debuisse* et p. Qu. §. 77 *sic cogitabam fore* uti . . . timore prolaberer. Quae formula *sic cogitabam* a comicis frequentata est, velut Ter. Andr. 110 Sic cogitabam: hic huius mortem tam fert familiariter. Similis formula, quam legimus in epistula illa Sulpicii ad Ciceronem (fam. IV, 5, 4) *coepi egomet mecum sic cogitare,* item ex usu comicorum est cf. Pl. Aul. II, 8, 10 deinde egomet mecum cogitare occepi; Ter. Eun. 629; per ellipsin verbi „cogitabam" Ter. Andr. 82 egomet continuo mecum cf. Verg. Aen. I, 36. Neglecta hac formula Cicero p. R. C. §. 48 dicit: *hoc* initio cogitare coepit.

9. De *subordinatione.*

a. In enuntiatis causalibus et concessivis simile redundantiae genus apparet, de quo in prima parte dissertationis planius disputavimus. In his enim enuntiatis simplici coniunctioni demonstrativa quaedam locutio praecedit. Hoc modo in enuntiatis causalibus se excipiunt voces: *propterea — quod,* sexies in orat. p. Qu.; octies in or. p. R. A.; *idcirco — quod; ideo — quod;* et in enuntiatis concessivis voces *tametsi — tamen.*

De qua re Woelfflinus copiosius disseruit l. l. — Sed hoc dicendi genus passim in omnibus Ciceronis scriptis comparet etsi non tam multis locis quam in prioribus.

b. Eodem spectat formula *non eo — quo,* pro vulgari in sermone urbano non — quo. Legimus tantum in orat. p. Qu. §. 5 *non eo* dico — *quo,* p. R. A. §. 51 *neque* haec *eo* profero — *quo* et in epist. ad Att. III, 15, 4 *neque* haec *eo* scribo, *quo* cf. Plaut. Trin. 341 *non eo* haec dico, *quin;* Pl. Asin. 843 *non eo quia.* Pariter comici omnibus, quos equidem novi, locis dicunt eo *quia,* non eo *quod* cf. Pl. Curc. 61; St. 177; Pers. V, 2, 53; Truc. II, 2, 17; Amph. 756; Ter. Haut. 505; quo ex numero Curc. 61, Amph. 756; Haut. 505 legimus formulam *eo fit, quia;* Cicero uno loco *eo* ... *quia* dicit p. Tull. 6; *eo quod* de inv. I §. 8; (ibid. II, §. 28 *ea re quod*) p. Qu. §. 17; Verr. III §. 63; V §. 69; praeterea ap. Cornif. III, §. 15; IV, §. 16; Cornel. Eum. 11, 5; Lucret. IV, 291; Hor. sat. I, 3, 20; II, 3, 120.

c. Similem redundantiam prae se ferunt in enuntiatis *temporalibus* formulae *dum — interea; usque dum.*

dum — interea excipiunt se p. Qu. §. 28 haec dum Romae geruntur, interea; p. R. A. §. 91; Verr. V, 91 cf. Pl. St. 336. *dum — interim,* ib. 764; Haut. 833 dum eximus, interea opperibere.

usque dum legimus p. Qu. §. 67; Verr. I §. 12; ad Attic. XV, 23. Hanc pleniorem formulam iam Cato usurpat r. r. 110. 112. 160, usque donec 56; Varr. r. r. III, 9; saepius comici Pl. Amph. 472, Truc. II, 3, 1, Men. 728, Asin. 328; usque donec Ter. Andr. 662, Pl. Mil. 268; Catull. 44, 14 usque dum; Priap. 83 v. 44 Buech.; disiuncte ibid. v. 34 et ap. Cic. fam. XII, 19, 3 mihi quidem *usque* erit curae, quid agas, *dum* cf. Ter. Haut. 983.

usque eo . . donec p. Tull. 14; Verr. I, 17; bell. Afr. 23, 2; 31, 2 cf. Pl. Cist. II, 3, 40; Rud. III, 5, 32 usque adeo donec; Truc. I, 1, 8 usque adeo — donicum; Men. 728 adeo usque — dum. Plenissimum huius generis dicendi exemplum est Ter. Haut. 136 usque dum — interea usque.

Ceterum eiusmodi formulas per omnia saecula in ore hominum plebeiorum mansisse hoc testimonium est, quod Anthimus, qui initio saeculi VI. epistulam scripsit de observatione ciborum, formula *usque dum* utitur §. 64 (edit. Val. Rose 1877).

d. *necesse habere* cum infinitivo coniunctum sermoni cotidiano tribuendum esse ex eo colligas, quod exceptis paucis locis Ciceronianis tantum apud scriptores reperitur, qui vulgari genere dicendi utuntur. Qua de re planius disserere licet, praesertim cum Draegerus §. 414 hunc locum summa cum brevitate et securitate tractaverit. Dicit enim hanc locutionem *tantum apud Ciceronem* comparere his locis:

p. Quinct. §. 13 *non* necesse habeo dicere; de opt. gen. §. 14 *non* verbum pro verbo necesse habui reddere; ad Attic. X, 1, 1 (emendandum est X, 1, 4) *eo minus* habeo necesse scribere; Lentul. ap. Cic. fam. XII, 15, 1 exspectare praesidium *non* necesse habui.

His locis prolatis addit: Es ist zu bemerken, dass der Satz überall *negativ* ist und dass Cicero die Verbindung nur in seinen *Jugendschriften* und *ein Mal* in einem Briefe anwendet.

Miror unde factum sit, ut Draegerus libros qui inscribuntur „partitiones oratoriae et de optimo genere dicendi" ab *adulescen-*

tulo Cicerone scriptos esse contendat, quippe qui in postremam eius aetatem a. 45/44 incidant. Deinde praeter illum *unum* locum in epistulis legimus hanc locutionem ad Attic. XII, 39, 1: necesse *ne* haberes scribere et ib. XVI, 2, 5 *ne* necesse habueris reddere.

Sed illud recte observavit omnibus his locis formulae „necesse habere“ *negativam* aliquam notionem additam esse, id quod etiam videmus ap. Ter. Ad. 51 *non* necesse habeo agere; Vitruv. II, 7, 2 quo *minime* necesse habeam adire; ib. X, 22, 1 *non* necesse habui scribere; Petron. 54 *ne* necesse haberent plorare. Sed iam auctor bell. Afr. hanc legem neglexit c. 39, 2: „cum necesse haberet legiones deducere“; post eum Claudius in oratione de iure honorum (cf. Nipperdey Comm. Tac. ann. vol. II. p. 314): „ut quae tali marito necesse habuerit succumbere“; ceteri loci sunt: Quintil. VIII, 5, 3; XI, 1, 74, Front. Strat. I, 11, 2 — quos omnes Draegerus omisit. Hanc formulam conservatam esse in sermone vulgari, ex eo intelligimus, quod Anthimus, de quo modo diximus, ea usus est in praefat.: necesse habemus nos gubernare, ib. 49 ostrea necesse habetur pro desiderio permittere.

e. Denique commemoramus Ciceronem in oratione p. R. Am. §. 53 et in ep. Att. III, 9, 1 solum dicere: *animum inducere ut* cf. Pl. Ba. 1186; St. 346; Poen. IV, 2, 55; Epid. IV, 1, 27; sed in posterioribus libris *infinitivus* ab hac locutione pendet cf. p. Cluent. 45; Catil. I, 22; div. I, 13, 22; II, 20, 46; Tuscul. V, 10, 30.

Restat ut de loco quodam difficillimo disputemus, quem ut expediret Klotzius perverse opinor ad sermonis prisci genus dicendi confugit. Locus est in orat. p. Qu. §. 13: „Itaque hercule haud mediocriter de communi quidquid poterat ad se in privatam domum sevocabat. Qua in re ita diligens erat, quasi ii qui magna fide societatem gererent, *arbitrium pro socio condemnari* solent.“

Manutius recte adnotat: quod attinet ad verba vix mihi nihil desiderari quisquam persuaserit; unde enim regitur, quo modo consistit per se *arbitrium pro socio?*

Ac Klotzius (Anmerkungen zur Rede p. Qu. p. 566) *arbitrium* ex usu sermonis prisci existimat accusativum esse, ut ait, „des entfernteren Objectes zu condemnari.“ Quae interpretatio neque similibus exemplis stabilitur neque Ciceronis auditores eiusmodi dicendi genus intellexisse putandum est. Manutius coniecit: ad arbitrium, alii alia.

Tota haec quaestio continetur rebus iudicialibus. Socii (Handelscompagnons) enim ad mutuum inter se patrocinium utebantur *actione pro socio* contractaeque lites iudicabantur per *arbitrum.* Arbiter autem hac re ab iudice discrepat, quod nullis legum et formularum vinculis adstrictus est, sed ex aequitate iudicat; inde etiam *arbitrium* dicitur sententia, quae ab arbitro statuitur (Fest. p. 15 M).

Jam si ceteros locos inspicimus, ubi de his arbitriis mentio fit:

R. C. §. 25 cur non *arbitrum pro socio* adegeris?

ibid. quem *per arbitrum* circumvenire posses . . ., hunc *per iudicem* condemnabis?

R. A. §. 114 nonne *damnatus per arbitrum.*

Tull. §. 53 tu aut *per arbitrum* restituas aut sponsione condemneris.

nullo modo dubium mihi videtur, quin etiam hoc loco legendum sit: *per arbitrum pro socio* condemnari. Atque arbitrium pro arbitrum scribere facillimum in modum librario accidere potuit (cf. p. R. C. §. 25), et praepositio *per* omissa esse mihi videtur ex simili palaeographica breviatione praepositionum per et pro.

Atque his tribus dissertationis partibus ad finem perductis si animo perlustramus totum harum orationum habitum, quis est qui neget simillimum esse alterum alterius genus dicendi? Nam si praeterimus illam Asianam dictionem, qua summe floret utraque oratio, non ita pauca verba et locutiones colligere possumus, quibus Cicero in his tantum orationibus utitur, ut

commendare et concredere: Qu. 62; R. A. 113
horridus — aridus: Qu. 93; R. A. 75
inter vivos numerare: Qu. 43; R. A. 113
nuntius volucer: Qu. 80; R. A. 19
voces *vetus* et *antiquus* tam religiose distinctae p. 27. 28.
vel praeterea in *epistulis* tantum
iniuriam facere Qu. 31; R. A. 146; fam. III, 8, 3
inopia et solitudo Qu. 5; R. A. 20; Qu. fr. I, 1 §. 25 *)
non eo — quo Qu. 5; R. A. 51; Attic. III, 15, 4 alia.

---

*) Hanc formulam mihi Cicero ex *Cornificio* ascivisse videtur, apud quem legimus I. §. 8 *inopiam, solitudinem,* calamitatem (cf. ib. II §. 7). Inde etiam Cicero in libro de inv. I §. 109 *inopia,* infirmitas, *solitudo.* Vox *inopia*

Quare etiamsi nobis nihil traditum esset de harum orationum aetate, tamen ex sermonis similitudinibus coniecturam faceres eas eodem fere tempore habitas esse. Neque id mirandum est, si unam alteramve earum quas nos ex his duabus orationibus protulimus proprietatum, etiam in insequentibus orationibus, quae quidem ad illarum aetatem proxime accedunt, invenimus ut in orat. p. Tull., in Verrinis. Apparet enim Ciceronem non repente sed sensim idque ut ait auct. dial. c. 22 „utique in iis orationibus, quos iam senior et iuxta finem vitae composuit“ sermonem suum ad eam perfectionem absolutionemque adduxisse, qua „apud posteros id consecutus est, ut iam non hominis nomen sed eloquentiae habeatur: hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.“ (Quintil. X, 1, 112).

---

his locis significat ἀπορία = inopia consilii, ut dicit ad Attic. VI, 3, 2; hac vi praedita raro invenitur apud Cic. et praeter illos locos: p. Qu. 84; p. Cluent. 57. Cornificii elocutionem multum valuisse ad Ciceronis sermonem in libro „de inventione“ nemo negabit, qui utrumque legerit. Multa similia etiam in his prioribus orationibus occurrunt, velut *planum, perspicuum facere* p. 20, 21 et illa paronomasia ***perspicuum — suspiciosum*** p. 12 cf. Cic. p. R. A. §. 18 id quod adhuc est ***suspiciosum*** nisi ***perspicuum*** res ipsa fecerit et Cornif. II §. 11 rem ***perspicuam***, non ***suspiciosam*** videri oportere; ib. IV §. 53 rem videntur ***perspicuam*** facere, non ***suspiciosam***. Deinde voce ***„certatio“*** pro ***„certamen“*** Cicero in orationibus tantum duobus locis usus est: p. Quinct. §. 68 *par certatio* cf. Cornif. IV §. 41 *par c.*; ibid. §. 73 iniqua certatio. Denique p. R. A. §. 135 Cicero in Chrysogono describendo Cornif. exemplum ***descriptionis***, quod IV §. 57 profert, imitatus esse mihi videtur; utroque loco legimus: *per forum volitare* (Cic. l. l.), *volitare* et vagari *in foro* (Cornif.), alia.

Addidamentum I.

De oratione Ciceronis p. Q. Roscio Comoedo.

Orationem p. R. Com. quo anno Cicero habuerit sententiae adeo inter se discrepant, ut Ferratius a. 77 a. Chr., Manutius et Drumannus a. 68 eam habitam esse censuerint. Locus unus, ex quo mea quidem opinione aliquid coniectura assequi possumus, est §. 33: „Accepit enim (scil. Roscius) agrum *temporibus iis, quum iacerent pretia praediorum* . . . Tum propter reipublicae *calamitates* omnium *possessiones erant incertae*, nunc deum immortalium benignitate omnium fortunae sunt certae.“

Ac *Drumannus* quidem (R. G. V p. 346—48) haec verba ad bellum cum gladiatoribus, quod a. 73—71 gestum est, spectare et cum Cicero altero loco (§. 37) hoc praedium abhinc tres quatuorve annos accepisse dicat Roscium orationem ipsam a. 68 (68 + 4 = 72) habitam esse putat. Contra equidem persuasum habeo orationem in annum post reditum Ciceronis ex Asia incidere a. 77 (76), de quo ipse Brut. §. 318 loquitur: „unum annum cum redissemus ex Asia causas nobiles egimus“ atque illa tempora maiore iure referenda esse ad *Sullanas proscriptiones*, de quibus similia dicit in Paradox. §. 46: qui *expulsiones* vicinorum, qui *latrocinia in agris*, qui *possessiones vacuas*, qui proscriptiones locupletum, qui clades municipiorum, qui illam *Sullani temporis messem* recordetur etc. et Sallust. Cat. 51, 32 „uti quisque *domum aut villam*, postremo vas aut vestimentum concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset“. Sed quid talibus argumentis opus est? Nonne Cicero ipse paucis annis ante causam egit pro R. Amerino, cuius in praedia Chrysogonus, libertus Sullae summa cum atrocitate impetum fecerat? Quibus de causis orationem p. R. Comoedo Ciceronem fere primam ex Asia regressum habuisse existimo a. 77 vel 76.

Cui rei testimonio est etiam *sermo* huius orationis. Totius enim orationis habitus prioribus similior est quam posterioribus. Ac primum quia permulta exempla inveniuntur *Asiatici moris dicendi* velut cum universe verborum quaedam abundantia, tum maxime illud studium notiones *duobus verbis* significandi cf. §. 30 *pravum et perversum*, §. 44 *locupletes et pecuniosi*, §. 46 *irasci*

et suscensere, §. 48 *consistere et commorari*, ib. *callidus et versutus*, ib. *ductum et conflatum*, §. 51 *resistere et repugnare* aliaque plura; qua in re tamen hoc animadvertendum est Ciceronem ut in duabus prioribus orationibus particula *atque* 82 ies, *ac* 45 ies, ita in hac *atque* bis tantum (§. 26. 43), *ac* nunquam, creberrime *et* usum esse.

Deinde in hac oratione sicut in duabus prioribus Cicero nonnullis elocutionibus et verbis utitur, quae posterioribus desunt; quo ex numero proferimus:

1. Similis illi formulae p. Qu. §. 45 personam capere, ubi simplex verbum pro composito positum est (cf. p. 21), frequentata formula poëtarum maximeque comicorum est *laborem, dolorem capere* (pro suscipere, accipere). Haec enim vocabula cum permultis locis coniuncta videmus, velut Ter. Andr. 831 *eius labore*, atque eius *dolore;* Pl. Pseud. 686; tum alterum pro altero positum invenimus, ut Ter. Andr. 720 „labor" pro „dolor" cf. Hec. 286; Haut. 82 *si quid laborist* = dolori; Pl. Rud. 190; (itaque etiam verbum *laborare* utramque vim habet et laboris et doloris, laborare ex); atque „dolor" pro „labor" ut Serv. adnotat ad Verg. Aen. X, 398 mixtus dolor et pudor: „alii dolorem alicuius studii ardorem et promptam gloriae cupiditatem *veterum* more dictum volunt, ut Graeci πόνον appellant, cf. Lucil. nam omnibus unu' dolor captu' labosque". Hinc profecta est duplex illa vis elocutionis *„laborem capere"*, velut Ter. Andr. 720; 870; Pl. Trin. 271 animo *labor* grandis *capitur* aliisque locis quibus labor vocis „dolor" vim habet, sed Ter. Hec. 344 inanem laborem c.; Haut. 399; Pl. Stich. 162; Lucret. V, 1180 propria vi utitur. Quam formulam Cicero uno loco usurpat, in or. p. R. C. §. 49: *tantum laborem capere*, quo loco labor vim habet πόνου, sed Ter. Andr. 870 tantum l. c. = dolorem; in sequentibus orationibus Cicero pro „laborem capere" dicit „*l. suscipere*" ut *Verr.* V §. 180 *tantum l. suscipere*, cf. Planc. §. 3; Mil. §. 94; dom. §. 29.

2. Pariter in orationibus uno loco invenimus formulam aliquid *compendii facere* = „facere ut aliquid compendii sit (= ersparen)" p. R. Com. §. 49 *ut paullulum tu compendii facias* cf. de off. III §. 63. Praeterea legimus apud Pl. Truc. II, 4, 26, saepius (cf. Lorenz ad Pseud. 1124), Pacuv. 175; Lucil. 29, 37 M.; Vitruv. III, 2, 20; VI, 1, 5.

3. Superlativo *novissimus* = extremus Cicero utitur uno loco: p. R. C. §. 30. Hic sup. Varronis demum aetate in sermonem ascitus est cf. Varr. L. L. VI p. 95 M. „extremum *novissimum* quoque dici coeptum vulgo, quod mea memoria ut Aelius sic senes aliquot *nimium novum* verbum quod esset *vitabant*." Cicero uno loco, ut iam diximus, hoc vocabulo utitur itaque falsum est, id quod Gell. X, 21 dicit Ciceronem *semper* hoc verbo abstinuisse. In posterioribus libris sumit verba extremus, proximus, recentissimus (Attic. VI, 1, 1); sed invenimus in epistulis amicorum ad Cic. datis, fam. X, 30, 20; XI, 1, 3 (ter); XII, 13, 1. 3; ap. Corn. Nep. semel Eum. 1; ap. Caesar saepius.

4. Pariter adverbium *extemplo* reperimus apud Ciceronem tantum in orat. p. R. C. §. 8 et in conversione illa carminis Aratei v. 351, permultis locis inprimis apud poëtas.

5. Formulam *quam mox* (= quam cito Fest. p. 261) post verbum *exspectare* legimus apud Ciceronem de inv. II §. 85 et p. R. C. §. 1. et §. 44 *exspecto quam mox ego dicam.* Qui usus prisco sermoni proprius est cf. Enn. ap. Cic. Div. I, §. 107 omnes spectant, quam mox emittat currus; Ter. Phorm. 161. 605; cf. Liv. 3, 37, 5; 5, 45, 1; 34, 11, 4.

Denique illud mirabile in memoriam revocemus Ciceronem in hac oratione omnibus fere locis ad coniungenda dua vocabula (synonyma) particula „*et*" uti, in duabus prioribus autem plerumque „*ac, atque.*" Quam rem non intelligimus, nisi hanc orationem in primum post reditum Ciceronis ex Asia tempus incidere censemus; quippe quo tempore Asiatico et Rhodio more distractus in dictione sua fluctuaverit. Atque in illis duplicibus locutionibus ut Asiano generi serviebat, ita ipsa earum copulatione per particulam *et* in hac oratione consulto Asianae dictioni reluctatus esse mihi videtur: nam in insequentibus orationibus particulis „et, ac, atque" promiscue usus est.

Addidamentum II.

De formula „per fidem decipi" cf. p. 19.

De hac similibusque formulis nuperrime subtilissimum in modum disseruit *H. Usener* in libello, qui inscribitur „Grammatische Bemerkungen" (Neue Jahrbb. für Philolog. u. Paedagg. 1878, p. 74 sqq.) Cuius argumentationem nonnullis meis argumentis amplificatam hoc loco proferre non alienum puto.

Quam formulam „*per fidem* decipi" Nipperdeius (Caes. p. 123) aliique interpretati sunt: per fidem i. e. datam nec servatam, ut praepositio "per" eandem vim habeat ad notionem vocis „fides", quam sola vox in casum ablativum, qui dicitur instrumenti, flexa. Atque ipsos scriptores Latinos hanc notionem inesse in praep. per existimasse, ex eo colligimus, quod pro legitima formula „per fidem decipi" etiam posuerunt solum casum ablativum: fide, ut Cic. p. R. A. §. 110 *istius fide decepti.* Hanc vero solam per se positam vocem „fide", quid sibi velit, parum liquere ratus Cicero addit hoc loco: istius fide *vel potius perfidia* decepti atque altero, qui est in libro de inv. I §. 71 dicit: „summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum *perfidia* totiens deceptus sis"; unde facile intelligatur, „per fidem" vel „fide" idem valere ac „perfidia" vel „perfide", quod adverbium perraro legimus. Jam haec sonorum similitudo, quae intercedit inter has voces *per fidem* et *perfide* (litteram m obscurum in extremitate dictionum sonat, Priscian. I, 38; Quintil. IX, 4, 40, cf. Corssen, Aussprache I², 263 sq.) efficiebat ambiguitatem quandam elocutionis, propter quam ipsam haec formula *per fidem* pro perfide consulto a scriptoribus retinebatur atque varios in modos mutabatur, cf. Plaut. Most.

500 per f. deceptus sum; Cic. de inv. I §. 71 p. f. fallere; Caes. b. G. I, 46, 3 p. f. circumventos; Hirt. 8, 48, 3 vulnera per f. imposita; Liv. 38, 25, 16 per f. violati colloquii, alia. Nec tamen deerant, qui scrupulosius haererent in hac pervulgata formula, quam aut data opera evitare aut quavis ratione expedire conarentur, velut Cic. R. A. §. 110 fide vel potius perfidia decepti; Val. Max. 9, 2, 1 quatuor legiones contrariae partis fidem suam *secutas* . . . obtruncari iussit (= *per* fidem deceptas) cf. Senec. de prov. 3, 7 multa milia civium uno loco *post* fidem, imo *per* ipsam fidem trucidata. Haerebant autem — ut nos — in praepositione per, quam, qua illis temporibus vi utebatur, ex ea interpretabantur = propter, durch, in Folge, wegen, ut Terent. Phorm. 469 propter fidem decepta. Quam interpretationem falsam esse Usener dilucide ostendit.

Jam si recte intelligere volumus hanc formulam „per fidem decipi", proficiscendum est ab antiquiore — ut alliteratio docet — formula ap. Liv. 1, 9, 13 *per fas ac fidem decepti*, (cf. Tacit. ann. XIII, 15 neque fas neque fidem pensi habere) in qua nihil inest ambiguitatis, nisi forte, ut per fidem pro per perfidiam, ita per fas pro per nefas positum esse contendis. Atque ex hac locutione „per fidem" natum est adiectivum *perfidus*; perfidus autem is vocatur, qui fide *caret*, ideoque hanc *negativam* vim etiam in *praepositione per* cum substantivis coniuncta quondam fuisse credendum est; hoc est: *praepositio per* antiquioribus temporibus significavit in his formulis = *contra*, wider; sed insequentibus formula retinebatur illa quidem nec tamen haec vis praepositionis per, imo in contrariam — quae tum viguit — convertebatur, qualis comparet in formula illa obsecrationis: „per fidem tuam". — Quam rem ita se habere alter locus Sallustianus hist. I fragm. 51, 15 confirmat: „ut te neque hominum neque deorum pudet, quos *per fidem aut periurio* violasti" ubi, si obsoleta illa interpretatio praepos. per recta esset, Sallustius scribere debuit: „per fidem aut per iusiurandum"; nunc vero *per fidem* = *perfidiā* consentaneum est vocabulo *periurio*. Quo ex loco colligere licet in prisco sermone ut suppeditasse formulas *per fas*, *per fidem*, ita etiam *per ius*, ex qua originem duxerunt vocabula *periurus*, *periurium*. Sed ex his formulis una conservata est: *per fidem*, quippe in qua ambigua illa sonorum similitudo cum adiectivo *perfide* auribus accommodatior fuerit, quam in illis: *per fas* = (perfaste), nefaste, nefarie, et *per ius* = periure, iniuste. Atque in locum priscae illius praepositionis per, cuius vis non iam intelligebatur succedebat praepos. *contra* idque accidisse in formulis *per fas*, *per ius* maximo mihi est documento antiquior quaedam formula, quam Cicero nobis tradidit ex haruspicum responsis in orat. de har. resp. §. 34: „Oratores *contra ius fasque* interfectos. *Fidem iusque iurandum* neglectum."

Ex iis, quae copiosius de hac praepositionis „per" notione disputat Usener l. l., haec refero. „In periurus „gegen den Schwur handelnd" oder „anders handelnd als geschworen" zeigt das alte adverb. skr. *param*, osk. *perum* (eodem spectat πέραν, πέρην = ultra, trans cf. *perfugere*, *perfuga* = *transfugere*, *transfuga*) dieselbe Bedeutung wie griech. z. B. in παράσπονδος. Irre ich nicht, so lässt sich im Latein. sogar noch die volle Form perem nachweisen in *perendie* „an anderem (übernächstem) Tage" und mit Synkope

in *permities*, das seine Erklärung in dem geläufigen *perire* hat. Lokale Geltung hat sich nicht selten erhalten: „*peregre* „in anderer Gemarkung“, *peremne* und *pertermine* auspicari „auf der andern Seite des Flusses oder der Grenze“, so *perlicere* auf die andere Seite locken, vielleicht auch *perfuga*, *perfugere*, *perfugium*. Das *Anderseitige* wird zu einem Gegensatz gegen das Natürliche, Vernünftige u. s. w., wie in perplexus, perverto, perdo, pereo, perimo, so in *periurus*.“

Addidamentum III.

De voce „antiquus“ cf. p. 28.

Ex hac inprimis antiquiorum poëtarum et scriptorum consuetudine dicendi glossam obscurissimam Pauli p. 26. M. interpretandam esse puto „*Antiquum* veteres etiam pro omnia posuere.“ Quo loco scriptura codicum vocem ineptissimam praebet: omnia. Atque O. Müllerus coniecit „apud Festum fuisse *omine* pro *homine*, et grammaticum id notasse, quod apud antiquiores etiam homines antiqui dicuntur, ut *cives antiqui* apud Pacuvium.“ Equidem opinor Festum exempla protulisse, ubi vox „antiquus“ hac *bona* vi praedita legebatur, ut ap. Pacuv. 80 R. cives antiqui; Cic. R. A. §. 26 homines antiqui; ob eamque rem hanc potius scripturam propono: „Antiquum veteres etiam pro *probo omine* posuere.“ Vocem *probus* aptissimam esse censeo, quippe quam scriba antecedente praepositione *pro* inductus facile praetermittere potuerit. Posteriores scriptores nihil iam discriminis inter voces „antiquus“ et „vetus“ sensisse ex loco apud Eutropium X, 10 intelligimus: vir *probus* et morum *veterum;* contra Pl. Capt. 401 adulescens *antiquis* moribus.

Addenda et Corrigenda.

ad p. 34. Scripturam *harida* pro arida legimus etiam ap. evang. Matth. 23,15 in codice Cantabrigiensi; qui idem praebet Luc. 11,16 *honerare* et *honus* cf. *Roensch* Itala u. Vulgata p. 462.

ad p. 26. Vocem *diluculum* in sermone vulgari conservatam esse iutelligimus ex loco apud evang. Luc. 24,1 (Vulg.) *valde diluculo* (= primo diluculo, ὄρθρου βαθέως).

ad p. 27. Ab hac vocis *articulus* significatione profecta est plebeia elocutio: *in articulo* Cod. Just. 34,2 = statim.

p. 6 lege Varr. r. r. pro Verr. r. r.
p. 12 „ res ipsa „ res ipse.
p. 20 „ Pl. Pers. I, 1,24 pro Pl. Pers. I, 1 24.

Becker's Universitäts-Buchdruckerei.

Corrigenda.

p. 5	lege	revocandam pro revocandum.
p. 6	„	De sermonis proprietatibus pro De sermonibus p.
ibid.	„	Varr. r. r. pro Verr. r. r.
p. 8	„	dicat pro dicit.
p. 17	„	eiusmodi pro ejusmodi.
p. 26	„	attribuenda pro attribuendum.
p. 46	„	IV §. 51 cf. ib. §. 62 pro IV §. 57.
p. 48	„	personam capere pro personem c.
p. 49	„	littera m pro litteram m.
p. 52	„	intelligimus pro iutelligimus.

Becker's Universitäts-Buchdruckerei.